RINO

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
R. - c - 235

EQUES
JOSEPH MOROTIUS
TAURINENSIS
S. TH. DOCTOR
AMPLISS. TAURINEN. THEOL. COLLEGII
CANDIDATUS
Anno MDCCLXXVII., die XI. Novembris, hora IX. matutina.



TAURINI EX TYPOGRAPHIA MAIRESSE.

Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio.

Sap. XV. 4.

DE SACRORUM BIBLIORUM DIVINITATE, ET CANONICITATE

UNIVERSE.

I.

PRincipio nulla Deus dedit hominibus præcepta ſcripta; genus hominum univerſum ea religionis principia tenebat, quæ naturalis ipſa ratio ſuggerebat, vel recenti adhuc primi hominis creatione patres liberis ſuis, & nepotibus tradebant, utpotequi facile poſſent rerum omnium exordium meminiſſe, & originem ipſi ſuam recordari; ſed quatuor circiter poſt diluvium ſæculis, longe, lateque moribus hominum corruptis, certum ſibi Deus in vocatione Abrahæ populum deſignavit, qui ſibi præ ceteris deſerviret; huic autem populo, quem duce Moſe de Ægypto in Paleſtinæ regiones eduxerat, per ipſius Moſis miniſterium præcepta ſcripta tradidit, tum ea, quæ ratio ipſa omnes

docet, cujuſmodi ſunt decem illa, quæ duabus tabulis continebantur, tum peculiaria quædam ad religionis ritus, & ad publici regiminis rationem ſpectantia.

II.

Deſcripſit hæc omnia Moſes, adjectaque præterea ejuſdem populi hiſtoria a Mundi origine ducta, in unum doctrinæ catalogum, ſeu canonem, a quo, mutuato nomine, libri in illum collati canonici dicti ſunt, univerſa coegit; atque poſt hanc nulla alia librorum collectio facta eſt uſque ad Eſdræ ætatem ſub Babylonicæ captivitatis finem; ſanctos enim viros, & Prophetas, quos intermediis illis temporibus ad eximia, planeque divina conſcribenda excitavit Deus, ſcripta ſua vel jam facto Canoni adſuiſſe, vel novum ex iiſdem conflaſſe, nullo ſatis firmo argumento confici poteſt. In priſtinam vero libertatem vindicatis Hebræis, Moſaicum Canonem auxerunt Eſdras, & Synagoga magna, reliquis, quos Hebræi ſuſcipiunt, libris appoſitis; Apoſtolici deinde Codices ſolo publico conſenſu, nullo edito decreto, in Canonem recepti ſunt ab Eccleſia Chriſti; quæ lege denique lata paucos quoſdam cum ſtante, tum everſa Synagoga a divinis viris, & ab Apoſtolis deſcriptos, ſanctiſſimo, graviſſimoque conſilio approbavit.

III.

III.

A tempore igitur, quo librorum ſanctitatem declaravit Eccleſia, orta eſt celebris *Proto*, & *Deuterocanonicorum* diſtinctio, qua prius, & poſterius approbationis tempus in pari omnium dignitate notatur. Miramur autem quammaxime criminandi occaſionem arripere hinc Hæreticos, perinde ac ſi libri alicujus divinitas, quæ ob priorum temporum difficultatem ſubdubia aliquando videri potuit, nequiverit ab Eccleſia conſequentibus temporibus citra novam revelationem declarari. Hanc certe difficultatem, ſi quam tamen agnoſcunt, expediant ipſi primum, a quibus ſimile quidpiam quando ipſorum intererat factitatum eſſe non ignoramus; nobis interim ſat erit aſſerere potuiſſe Eccleſiam proceſſu temporis certiſſima habere monumenta, quibus ad horum librorum divinitatem declarandam permoveretur, quin poſterius declaratæ divinitatis tempus eorum auctoritati poſſit aliquo modo officere.

IV.

Atque hæc obiter. Antequam enim ad Hæreticos venio, incredulos perſtringendos mihi eſſe intelligo, qui ne omnem impietatem, quam verbum Dei abnegandam docet cogantur exuere, libros canonicos in falſitatis ſuſpicionem malunt revocare. Horum

igitur veritatem in tuto collocandam ſuſcipientes, ne latius quam inſtituti noſtri ratio patitur, excurrat oratio, argumenta exhibebimus, ex quibus unius Pentateuchi veritas eluceat, ita tamen ut liceat eadem opera de reliquis veteris Inſtrumenti libris, a quibus exordiendum eſſe ducimus, certam facere conjecturam. Jam vero Moſen aliquando extitiſſe, Judaici populi ducem fuiſſe, & legislatorem, nemo prudens, ut opinor, revocabit in dubium, ſive velit diſperſis extantis ejuſdem populi reliquiis fidem adhibere, ſive malit externorum ſcriptorum ſuffragiis acquieſcere, qui ſumma conſenſione Hebraici legislatoris injiciunt mentionem.

V.

Moſen autem nihil a veritate alieni litteris mandaſſe adeo certum eſt, ut neque voluerit, neque, etiamſi voluiſſet, ſcripta ſua potuerit falſis interſpergere. Noluiſſe enim ſacrum auctorem populum circumvenire argumento eſt, tum ingenua ipſius indoles ab ipſis ſequioris ævi profanis ſcriptoribus ſingulari cum probitatis laude commendata, tum ſummus narrationis candor nullis verborum lenociniis, ſed maxima ſtyli ſimplicitate exaratæ; tum mira, quæ in ipſius libris elucet ſinceritas, qua modo bona, modo mala a populo, a proceribus patrata facinora

ex

ex æquo commemorat. Cum autem coram illis ſcriberet, qui geſtorum, quorum proſequebatur hiſtoriam, oculati teſtes fuerant, coram illis, quorum famæ, & nomini plurimum detrahebat, quomodo non ſibi ſummopere duxiſſet metuendum, ſi a veritate, vel latum quidem unguem deflexiſſet? Quomodo Judaicæ legis, quæ in quidvis aliud, quam in illorum utilitatem, nata videbatur, jugum ſuſcepiſſent Hebræi; quomodo ad illam tutandam tantum moleſtiarum devoraſſent, aut in Moſis ditionem, arbitratumque totos ſe, penituſque dediſſent, niſi evidentiſſima habuiſſent Moſaicæ integritatis argumenta?

VI.

Fingemusne populum eouſque ſtupidum, ut inter tot hominum millia, quorum ora, vultuſque in legislatorem ſuum conſtanter defixa erant, nemini unquam ſuboluerit fucus veteratoris, ſi talis forte extitiſſet, Moſes? Nec eſt ſane cur ad remotiora facta de creatione, de Mundi origine, de diluvio confugientes increduli circa hæc populum Judaicum Ægyptiaca præſertim captivitate torpentem, verba ſibi dari facile paſſum ineptiſſime effutiant; præterquamquod enim Moſaica horum omnium hiſtoria, ita cum conſequentibus profanis ſcriptoribus con-

venit, ut ſi fidem illi denegemus, nihil jam non ſit in hiſtoriis quod non dolo confictum, non falſum, non comminiſcentium hominum delirium eadem opera dici poſſit, tantumdem certe brevi huic captivitati tribuendum non eſſe credimus, ut una cum corpore animos etiam fregerit, memoriamque illorum, quæ Hebræi avitarum traditionum tenaciſſimi a patribus ſuis acceperant, penitus obliterarit.

VII.

Plurimum denique apud prudentes quoſque momenti habere debet Samaritanæ gentis factum, quam nihil intentatum reliquiſſe conſtat, ut Hebræis, quos capitali odio proſequebatur, conflare poſſet invidiam. In ſumma enim hac conviciandi aviditate tantum a Moſaicis libris ſuggillandis abfuit, ut illos quinimo ambabus, ut ajunt, ulnis fuerit amplexata; quod validiſſimo argumento eſt ab illo jam tempore Pentateuchi veritatem non ſolum apud Judæos, ſed apud exteros etiam luculentiſſime conſtitiſſe. Quoniam vero nullum hoc antiquius volumen extat, nulla litteris mandata memoria, Moſen idcirco ſcriptorum principem merito prædicamus, a quo, utpote omnium longe antiquiſſimo, fabularum commenta reliqui peſſima interpretatione derivarunt; quamquam fert quoque

fama

ſama non ſpernendis calculis confirmata literarum, ſcribendique formæ illum fuiſſe inventorem. Quæ cum ita ſint, neſcio qua demum fronte increduli Ægypto plus æquo addicti ſcientias omnino omnes ipſi velint acceptas ferre, nobiſque audeant auctores opponere Iliaco excidio ſuppares, aut etiam poſteriores, quando liquet Pentateuchum multo ante id temporis fuiſſe exaratum.

VIII.

Moſaici Canonis veritatem ſolius critices regulis perabunde hucuſque probatam mirifice confirmat ipſius divinitas, quam oracula paſſim Pentateucho contenta luculentiſſime produnt. Nimirum ſolius divinæ mentis eſſe futurarum rerum eventus prædicere, adeo ipſis Ethnicis perſuaſum fuit, ut quotieſcumque aliquid ex auſpicato ſuſcepturi illius exitum certo averent cognoſcere, illos ſolos, quos familiari divorum conſuetudine frui arbitrarentur, aut protinus numinum ſuorum idola conſultum mittere ſolerent; cujus quidem perſuaſionis nomine etſi reprehendendi non erant, dolemus tamen vehementer, ipſos falſis, ambiguis, flexiloquis, obſcuriſque ſermonibus numquam, niſi fortuito, eventum ſortitis, tam facile credulitatem ſuam commodaſſe prædictionum ſpecie potius, quam veritate turpiter hallucinatos.

IX.

IX.

Quam vero longe ab hoc fuco Moſaica diſtent vaticinia is facile deprehendet, qui in ipſius libris plane hoſpes non ſit, & peregrinus; nedum enim Jacobæum oraculum retulit Moſes, quod nemo ſane, niſi Propheta poterat præſtare, verum etiam ipſe vaticinatus eſt, cum diutinum bellum contra Amalech a Domino ciendum prædixit (1), cum dejectis narratione exploratorum Iſraëlitarum animis, potiuſque in vaſta ſolitudine inedia abſumi, quam hoſtilibus gladiis occumbere optantibus prænunciavit, omnes, qui in egreſſu ex Ægypto vigeſimum annum exceſſiſſent, exceptis Joſue, & Caleb, in deſerto perituros (2); cum denique mala omnia præſenſit, quæ in deſertæ legis pœnam populus poſtea pertulit, inter quæ & Regis præſignificavit captivitatem, cum tamen ne in ſpecie quidem veriſimile tum videretur in Hebræorum republica Reges olim futuros (3), hæc ſcilicet, aliaque plura, quam vacet hic recenſere, cum neque in humanæ mentis cognitione poſita, neque ex præſentium rerum ſtatu conjectata, neque verbis ancipitem patientibus ſignifica-

tio-

(1) *Exodi XVII.* 16.
(2) *Num. XIV.* 29. 30.
(3) *Deut. XXVIII.* 36.

tionem concepta, neque ſuo unquam eventu fruſtrata ſint, veri oraculi naturam habere dicenda ſunt, ſcriptoremque ſuum verum Prophetam indubitanter efficere; cum vero ceteri etiam libri pluribus paſſim affluant hujuſmodi oraculis, quæ ſolius Divini Numinis afflatu conſcribi potuerunt, ita illos pariter, ac Moſaicos divinos eſſe optimo jure pronunciamus.

X.

Atque ita quidem omnes ſentiant neceſſe eſt, niſi malint cum Spinoſa inſanire. Is enim perpetuo ſui ſimilis non ex Divino Spiritu hominum mentes agente, ſed ex habitu, robuſtaque corporis temperatura, ex humoribus, ex vivaciore imaginandi vi, atræque præſertim bilis copia Prophetas fieri deprædicat, mentis hilaritatem, muſiceſque adjumenta plurimum ad propheticam virtutem extemplo aſſequendam conducere comminiſcitur; immo tantumdem creatis tribuit ingeniis, ut humana quandoque opera, & diſciplina inſtitutos ad prophetandum homines fuiſſe non dubitet aſſevérare; perbelle vero niſi quod iſtæ deſipientis hominis voces riſu potius excipiendæ ſunt, quam reſponſione.

XI.

Auctoribus quoque ſuis vere digna eſt Manichæorum objectio. Nimirum, etſi non ſunt adeo inſulſi, ut velint cum Spinoſa negare propheticam vim ſolius divinæ virtutis eſſe, ajunt tamen, divinos dici non poſſe libros, in quibus nihil invenias quod divinam ſapere videatur inſtitutionem, nihil de æternis bonis, ærumniſve, nihil de animi immortalitate. Offendas autem quampluri-mum ſacrificiorum, luſtrationum, cæremoniarum, quibus tota, quanta eſt Moſaica lex continetur. Repugnat vero ipſis hæc omnia, quæ animæ ſanctitatem non efficiunt, dici poſſe inſtituta a Deo, qui nec hircorum ſanguine delectatur, nec veſtium genere mulcetur. Atqui ſi docilem animum afferre velint Manichæi, non ſolum cognoſcent fuiſſe graviſſimos hoſce ritus in optimum finem, maximamque Hebræorum utilitatem inſtitutos, verumetiam immortalitatis, æternique tum præmii, tum excidii doctrinam non obſcure in Pentateucho ſubindicatam deprehendent; ceterum plurimæ aſſignari poſſunt cauſæ cur de his doctrinæ capitibus apertam mentionem non fecerit Moſes, præſertim cum Hebræi ex patrum ſuorum traditione hæc jampridem aſſequi potuiſſent.

XII.

Deiſtarum denique condemnanda impietas eſt, qui ſacros Codices divinos eſſe negant, eo quod repugnantia, inania, inſulſa, maledicta in Deum, pleraque Ethnicorum fragmenta adducta, multa obſcuriora, quam par ſit, aliaque id generis divinitatem dedecentia in illis paſſim offendere ſibi videantur. At enim priora tria negantes reſpondemus ipſos ſuammet potius prodere imperitiam, dum vehementiora dolentis animi vocabula, quibus ſalva pietate ad leniendum doloris exceſſum juxta ſuæ linguæ ingenium Orientales utebantur, pro blaſphemiis habent; turpiter deinde errare, dum divinitati officere poſſe exiſtimant Philoſophorum ſententias, quas ſacri Auctores ad adverſarios validius revincendos cum uſuveniret opportuniſſime uſurpabant. Ultro tandem concedimus craſſiores ipſos eſſe, quam ut abditiora ſcripturarum loca, ubi præſertim de Myſteriis agitur, aſſequi valeant, inde tamen locum fieri querimoniæ poſſe negamus: non enim decebat tantarum rerum majeſtatem vileſcere, & deprimi, quod facile eveniſſet, ſi illarum doctrina ad humanæ mentis infirmitatem, omniumque captum fuiſſet accommodata.

XIII.

Itaque cum nihil amplius obſtet quominus libri canonici pro divinis habeantur, opportunus videtur hic quærendi locus, qua ratione tales habendi ſint. Grotius enim omnes S. Bibliorum auctores, ſolis exceptis Prophetis, humana prorſus ratione ſcripſiſſe (4), eorumque libros non alia deinde via, quam univerſali Eccleſiæ acceptatione auctoritatem, ac veluti divinitatem aſſecutos fuiſſe contendit. Atque ante ipſum Anomæi (5), ad quos, teſte Hieronymo (6), Eccleſiaſtici quidam acceſſerunt, Prophetas, & Apoſtolos in multis, ut homines erant, humana tantum induſtria locutos arbitrati ſunt, & etiamnum circa modum, quo Spiritus S. ſcriptores afflavit, variæ circumferuntur, diſcrepanteſque ſententiæ, inter quas illi adhæremus, quæ ſcripturam omnem, ac totam inſpiratam divinitus agnoſcit, ita tamen ut non eodem modo ſacras litteras omnes Spiritus dictaverit, nam leges, & prophetias ad verbum revelavit, hiſtorias vero, & morales conciones, quas ſcriptores agiographi

(4) *Vid. Boſſuet diſ. ſur la doctrine, & la critique de Grotius.*

(5) *S. Epiphan. hær.* 66.

(6) *Hier. Epiſt. comment. in Epiſt. ad Philem.*

phi jampridem aliquo modo noverant, aut meditatione didicerant, neceſſe non fuit a Spiritu Sancto inſpirari; quamquam vere dicatur Spiritus S. ea quoque inſpiraſse, ſeu quod illorum mentem direxerit, ut ne quid falſi, ineptive ſcriberent, ſeu quod illos moverit, ut hoc potius, quam illud animi cogitatum in ſcripta referrent.

XIV.

Reliquum nunc eſt, ut Biblia, quæ divino afflante Numine conſcripta fuiſse oſtendimus, hæc, eodem protegente, integra, & incorrupta ad nos uſque perveniſse ſtatuamus, cui quidem veritati etſi non incommodant quidam exiſtimantes, aut unum duntaxat volumen, a quo exemplaria cetera populus in libertatem aſsertus deſcripſerit, fuiſse per Eſdram a communi vaſtitate ſervatum, aut omnes omnino Babylonicæ captivitatis tempore libros penitus interiiſse, eoſdemque Eſdram entheatum iterum expromſiſse, ac veluti exhalaſse, religio tamen non eſt ab illorum ſententia diſcedere; hæc enim apocryphis fontibus, bona licet fide hauſta, nulloque ſcriptoris fide digni teſtimonio freta prodigium fingit, cujus fingendi nulla ſubeſt cauſsa, præſertim cum conſtet neminem hoſtiles manus in extantes tunc temporis libros injeciſse; e contra vero gra-

viſſi-

viſſima, certiſſimaque ſuppetant argumenta, quæ huic opinationi apertiſſime refragantur.

XV.

Verius idcirco erit, Eſdram, collatione facta, libros emendaſse, priſtinæque integritati reſtitutos in ordinem redegiſse, quin tam pretioſum divinæ voluntatis monumentum, religioſa Hebræorum cura ſervatum, ullo unquam tempore intercidiſse concedamus. Ab Eſdræ vero ætate ad Apoſtolorum ævum tantum diligentiæ, & operæ ad librorum incolumitatem collatum eſt, ut nihil abſurdius fingi poſſit, quam ipſos fuiſse depravatos; etſi enim Antiochus extremam ſacris Codicibus perniciem meditatus illorum exitio immineret, impias tamen tyranni machinationes ſollerti Machabæorum pietate amolitas fuiſse conſtat. Ab Apoſtolicis autem ad hæc uſque tempora ipſorum indemnitati Chriſtianorum ſtudio, & exemplarium multitudine, quæ omnes fere mundi plagas pervaſerant, affatim conſultum eſt, quam ut mutilari, vitiarive potuerint; quamobrem ſi quæ ſunt de ſcripturarum corruptionibus Patrum querelæ, hæ non ad canonica, quibus utimur, ſed ad apocrypha exemplaria, ut Symmaci, & Theodoſionis, referendæ ſunt, vel de mendis, quæ ex amanuenſium imperitia, & oſcitantia imprudenter irrepſerunt, ſaniore interpretatione ſunt intelligendæ.

XVI.

His de vetere potiſſimum Teſtamento ſtrictim præceptis, quædam & de Apoſtolicis libris ſummis ſaltem labiis delibanda ſunt. Unum vero Matthæi Evangelium infidelibus, Judæiſque proponemus, quod ſi divinum eſſe conſtiterit, ceterorum quoque librorum divinitas, quoniam par omnium cauſſa eſt, eadem opera elucebit; & primo Jeſu Chriſti Evangelium omnis falſitatis expers a Matthæo conſcriptum eſſe æque Chriſtianis omnibus exploratum eſt, ac perſuaſum Judæis ſit Moſen ſcripſiſſe quæ ſcripſit, eaque eſſe veriſſima. Quinimo Porphyrius, & Julianus Apoſtata ultro fatentur editum a Matthæo Evangelium; hoc vero ſincerum eſſe vel ex èo liquido conſtat, quod ad ejus commentationem Matthæus acceſſerit non laudis, gloriæ, quæſtus, vel commodorum ſpe illectus, ſed malorum, cruciatuumque omnium ſibi hoc nomine imminentium optime gnarus, quod omnia adamuſſim notarit, locum, tempus, teſtes, quod ipſam Apoſtolorum inſcitiam, ambitionem, incredulitatem taxans nihil diſſimulaverit, omiſeritque eorum, quæ ingenuum ſcriptorem decet præſtare.

XVII.

Quomodo autem fidem, quam Moſi adhibent, Matthæo denegabunt Hebræi? Moſes

de mundi exordio, de Creatore, de ſummo honore uni Deo præſtando ſcripſit; Matthæus excellentiora proſecutus de divino conſilio pro hominum ſalute ante mundi conſtitutionem ſuſcepto, de humana redemtione, de æterna felicitate, de Deo homine facto diſſeruit, virtuteſque in veteri lege, quaſi dixero, adumbratas ad perfectum adduxit. Moſes popularibus ſuis ſervitute ereptis, mirabilium Domini teſtibus legem rogavit, præmiumque, quo cognatum legali jugo tædium protinus abſtergerent, in hac vita propoſuit. Matthæus nobiliora patravit, non enim Evangelium ſcripſit ſolis fratribus recens ad fidem converſis, quibus ob proximiorem memoriam ignota eſſe non poterant, quæ paucos ante annos Chriſtus geſſerat, verumetiam externis, inimicis, Judæis, ethnicis, dilato in futurum ſæculum præmio, legem ſuaſit carni, & ſanguini repugnantem. Moſes in aula regia educatus, Ægyptiorum diſciplinis expolitus, eloquentia præditus, auctoritate gravis, Abrahæ filios avita religione inſtitutos divinis præceptis imbuit; Matthæus longe mirabiliora præſtitit, nullo ſcilicet inſtitutionis, ſcientiæ, dignitatis ornamento inſignis, hominibus, infeſiſque pugnantibus, animos a paterna religione abductos ad Chriſtum convertit. Sua

igitur

igitur Moſaicis libris conſtet auctoritas, quam extenuare hic non meditamur; atqui comprobatius omnino eſt Matthæi Evangelium, itaut ſatis aſſequi non valeamus, quo tandem conſilio Hebræi illos minus teſtatos ſuſcipientes hoc ſibi ducant repudiandum.

XVIII.

Huc etiam accedunt vaticinia, quibus hoc Evangelium interſperſum eſt, quæque ut Chriſtum Jeſum maximum Prophetarum fuiſſe conficiunt, ſic uberrimam Divini Spiritus copiam auctori ſuo factam evincunt; quid enim clarius Chriſti prædictione in concione ad Apoſtolos, qua turbis proditionem, flagra, millia pœnarum, quibus reapſe diſcruciatus eſt, ſuffixionemque in crucem præſagivit? Quid ſignificantius ipſis Diſcipulis dici potuit, quam illos poſt mortem ſuam virtute ex alto, Spiritu veritatis, præſtandorumque mirabilium poteſtate donatos, omnium invidia, procerumque in ſe concitata ſævitia, truculentiſſima nece occaſuros? Quid inſignius, quam Eccleſiæ propagationem, ſempiternam ipſius ſtabilitatem, Judæorum duritiem, pertinaciam, excæcationem, Judaici Regni ruinam, Templique Hieroſolymitani excidium, aliaque ſexcenta profari, quæ omnia quidquid contra admolita ſit humana perverſitas, ita adamuſſim impleta ſunt, ac fuerant

rant

rant prænotata; annon cæcutire dicendus eſt quiſquis præ tam ſplendidis, quibus tum hic, tum ceteri Apoſtolici libri pollent divinitatis argumentis, divinos illos eſſe inficietur?

XIX.

Quandoquidem vero eodem inſpirationis genere, quod ſupra innuimus, & Hebraici veteris, & Græci novi Teſtamenti Codices exarati ſunt, parem quoque utrorumque auctoritatem, divinitatemque cum Tridentina Synodo venerari oportet; licet autem verſiones ex utriſque ductæ in paucis ſibi invicem, & cum exemplaribus interdum diſcrepent; tamen quia in præceptis credendi, atque agendi omnino conveniunt, verendum non eſt, ne divina eloquia immutata in aliis quoque linguis non maneant; nec neceſſe eſt diſputare de Hebraicis, Græcis, & Latinis utra præferenda alteris ſint, debeatne textus ex verſione corrigi, an contra, ubi fortuitæ mendæ irrepſiſſent. Unum hoc loco affirmatur, Hebraicos, Græcos, & Latinos Codices in doctrina, in fidei, & morum præſertim rebus conſentire.

XX.

Quocirca illorum convellendus eſt perniciosus error, qui, eo quod Tridentini Patres, nulla fontium mentione facta, ex pluribus latinis, quæ circumferuntur, ſola vul-

gata

gata Biblia authentica decreverint, Græca, & Hebraica repudianda eſſe peſſime ratiocinantur. Cum enim Eccleſia Chriſti non exiguis Occidentis finibus, quibus latina editio familiaris eſt, contineatur, ſed ad omnes univerſitatis plagas, quæ Chriſto nomen dederunt, late diffundatur, quomodo populis latine neſcientibus proſpicietur, ſi hanc unam, veram, & incorruptam dicamus? Præclare in hanc rem Andreas Vega ex nobilioribus Theologis, qui Concilio adfuerint (7), monet Patres non reſtrinxiſſe ſtudia Theologorum linguas callentium, qui ſentiunt quoſdam ſcripturarum locos exactius traduci potuiſſe, & Spiritum Sanctum in primigeniis libris explicatiorem, ac meliorem ſenſum indicaſſe, quam qui in vulgata latina redditus ſit, ſed cum vulgatam authenticam pronunciarunt, nihil ſignificare voluiſſe, præterquam nullo fœdatam eſſe errore, unde exitioſum aliquod dogma in fidem, ac mores poſſet derivari.

(7) *Vega lib. 15. cap. 9.*

DE
LOCIS THEOLOGICIS.

I.

PRoximum nunc eſt, ut videamus quibus adjumentis inſtructum eſſe oporteat accedentem ad Scripturas. Licet enim iſtæ ſint fidei noſtræ norma & lex, quemadmodum nos inter, & Proteſtantes convenit, nihilominus tamen ob miram Divini eloquii profunditatem, majeſtatemque rerum, adeo difficiles plerumque ſunt, & obſcuræ, ut ad omnia Religionis dogmata certo ſtabilienda ſolæ nequeant ſufficere. Exploratiſſimam hanc veritatem ægre quondam tulit Lutherus pluribus in locis (1) auſus aſſerere Scripturam omnem eſſe per ſe certiſſimam, faciliſſimam, apertiſſimam ſui ipſius interpretem, Patrum omnium commentariis illuſtriorem; ſed hæc blateranti hæreſiarchæ, præter Patres omnes, os obſtruunt ipſi ſacri Codices, in quibus crebræ piorum hominum voces ſuam in ſcrutandis

(1) *In præf. artic. a Leon. X. damn.*, & *paſſim in lib. de ſerv. arb.*

tandis divinis libris imperitiam conſitentium totidem ſunt apertiſſima ſcripturarum obſcuritatis argumenta.

II.

Ineptam Anteſignani ſui opinationem, cujus vanitatem vel ipſi facile ſenſerant Lutherani temperantes multa in ſacris libris obſcura inveniri ultro confeſſi ſunt; illorum tamen perſpicuitatem, quoad præcipua ſaltem ſidei capita, eaque omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria omni contentione vindicandam ſuſceperunt; verum falli adhuc miſeros ipſa experientia docet. Eccur enim in tanto ſcripturarum lumine cæcutiunt adeo, ut in contrarias ſæpe abeant opinionum novitates, cum tamen in rebus evidentibus fieri non poſſit, quin una etiam ſit omnium ſententia? Nimirum, ut acute obſervat Nicolius (2), videtur Deus voluiſſe ſenſibili, funeſtaque experientia prædicatores claritatis ſcripturarum apertæ falſitatis redarguere permittendo, ut de omnibus fere dogmatibus, quæ in ſacris ſcripturis evidenter contineri jactant, mire inter ſe diſſentientes luctarentur, omneſque fere jam ſopitas hæreſes ſuſcitarent. Suo igitur periculo edocti Lutherani ſcripturarum obſcuritatem hic etiam fa-

 teantur

(2) *Préjugés légitimes contre les Calviniſtes chap.* 16.

teantur neceſſe eſt, ſimulque interpretis neceſſitatem; etiamſi enim concederemus perſpicuas eſſe ſcripturas, finiendis tamen omnibus de fide controverſiis haudquaquam ipſæ ſibi ſufficerent, potiſſimum, quia mortuæ, ut ajunt, litteræ jus ſuum contra hæreticos illas in alienum ſenſum detorquentes tueri nulla ratione poſſent.

III.

Agnoſcendus itaque eſt aliquis legitimus, & ſupremus verbi Dei interpres, a quo proinde omnes, quæ de ſcripturarum ſenſu, & interpretatione naſcuntur quæſtiones, componi, & finiri queant; nos Catholicam Eccleſiam ut ſupremum harum litium tribunal veneramur, illiuſque auctoritati faſces ſubmittimus, hanc unicam eſſe viam dicimus, eamque facillimam, qua omnes de fide controverſiæ finiantur; contra vero Novatores non pauci, qui ut ſcripturæ obſcuritatem, ſic & neceſſitatem interpretis pro illius ſenſu determinando nobiſcum fatentur, hanc auctoritatis viam, velut tyrannicum jugum execrantes, in contraria ſtudia ſcinduntur, ita tamen ut ad veritatem nunquam accedant.

IV.

Nam qui ſpiritum privatum, vel quod in idem recidit Spiritum Dei privatos homines illuſtrantem, legitimum verbi Dei interpre-

tem

tem conſtituunt, divinam revelationem funditus labefactant, ea plane ratione, qua ſi omnibus indiſcriminatim interpretandarum legum fieret poteſtas, omnis earundem concideret auctoritas, non enim ipſa lex, ſed diverſum potius, quod de ea facerent homines judicium, auctoritatem haberet. Impingunt præterea in Petri monitum (3), qui docens non voluntate humana, ſed Spiritu Sancto afflante locutos eſſe ſanctos Dei homines auctor nobis eſt, ne voluntate humana, aut propria interpretatione ſcripturas aggrediamur explicare. Denique quod ineptiſſimum eſt, Divinum Spiritum, explicandæque ſcripturæ copiam, quam Paſtoribus, Eccleſiæque univerſæ per ſummam impudentiam eripiunt, cuilibet de plebe cerdoni tribuere non erubeſcunt.

V.

Qui vero humanam rationem fidei controverſiarum judicem eſſe volunt, perinde faciunt, ac ſi quis, orta de coloribus lite, cæco judice uti vellet. Certum enim eſt in divinis libris Religionis noſtræ Myſteria credenda proponi, quæ cum ſublimiora ſint, quam ut eo aſſurgere mens humana poſſit, oportet fide venerari, non ratione inquirere. *Credimus*, inquit Auguſtinus, *ut cognoſcamus*

(3) *II. Pet. I.* 20. & 21.

ſcamus, non cognoſcimus, ut credamus; quid eſt enim fides, niſi credere quod non vides (4)? Itaque non negamus debere nos rationabile obſequium præſtare Deo, ideſt diligenter expendenda eſſe credibilitatis noſtræ motiva, ſed poſtquam, his excuſſis, divinam revelationem in ſacris litteris contineri certo noverimus, ceſſat rationis officium, nec licet amplius dogmatum naturas, cauſſaſque audaci inveſtigatione ſcrutari.

VI.

Turpiſſimo demum errore teneri perpaucos, qui ad Principes, vel Magiſtratus ſæculares in dubio fidei confugiendum eſſe commenti ſunt, adeo evidens eſt, ut ab ipſis Proteſtantibus merito rejiciantur: quid igitur Novatoribus reſtat, niſi ut ſupremum fidei, morumque controverſiarum judicem cognoſcant Eccleſiam, a qua germanam ſcripturarum intelligentiam oporteat recipere? Nam, ut de veteri lege ſileamus, in qua hoc juris Synagogæ conceſſum eſt (5), ſimilem auctoritatem uni Eccleſiæ in nova lege tributam, luculentiſſime probat Apoſtolorum inſtitutum (6), teſtantur exempla majorum, qui Apoſtolicis veſtigiis inhærentes, fidei con-

(4) *Tract. XX. in Joan.*
(5) *Deut. XVII.* 8. *& ſeqq.*
(6) *Act. XV.* 6.

controverſias e re nata dirimebant, declarant ſexcenta Patrum teſtimonia, ipſaque naturalis ratio docet. Quid plura? Tanta eſt ſupremæ hujus auctoritatis in Eccleſia neceſſitas, ut illam Proteſtantes ipſi, quamquam verbis moliuntur eripere, factis tamen debuerint confirmare.

VII.

Præclaram hanc Eccleſiæ poteſtatem excipit ipſius in fidei, morumque quæſtionibus definiendis infallibilitas, qua Sponſam ſuam inſignire voluit Chriſtus, multoties ipſi pollicitus Spiritum veritatis, qui cum illa maneret in æternum (7). Nec eſt ſane cur maleferiatus auctor, cujus audaciam jampridem repreſſit doctiſſimus Præſul (8), has Chriſti pollicitationes, obvio verborum ſenſu repugnante, ad Apoſtolica tempora reſtringat, noſtrique temporis Eccleſiam fallibilem faciat; ex Apoſtolorum enim ætate, & deinceps non defecit genus Chriſtianum, nec fides de terra, nec caritas de Eccleſia; quam nec in poſterum occaſuram ſtatuimus, cum prædeſtinata ſit columna, & firmamentum veritatis (9).

VIII.

(7) *Matth. XXVIII. 20. Joan. XIV. 16. & alibi.*

(8) *Franc. Fitz-James in ſua Paſt. contra Hard. & Ber. tom. 1. p. 1. cap. 4.*

(9) *I. ad Tim. III. 14.*

VIII.

Laudata porro ſcripturarum loca non ſolum paſſivam Eccleſiæ infallibilitatem evincunt, qua fit, ut univerſi fideles ad credendum aliquem errorem induci numquam valeant, verumetiam probant fieri numquam poſſe, ut omnes ſimul Eccleſiæ Paſtores aliquem errorem teneant, ſibique commiſſis populis credendum proponant, quæ infallibilitas activa nominatur. Præterquamquod enim Chriſti promiſſiones Apoſtolis factæ non tam ad populum extendi debent, quam ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, illud etiam animadvertendum eſt, paſſivam infallibilitatem abſque activa conſiſtere nullo pacto poſſe. Nam ſi a recto fidei tramite univerſi Paſtores ſemel deflectant, neceſſe quoque eſt, ut univerſus populus Paſtores ſuos ex divino præcepto ſequi juſſus in errorem ſimul abducatur.

IX.

Uſuvenit aliquando, ut Epiſcopi, ita poſtulante Eccleſiæ utilitate, aut neceſſitate, in generalia Concilia conveniant, quo facilius poſſint doctrinas aliquas excutere, exortas hæreſes præfocare, fideliumque neceſſitatibus ſubvenire: cum autem Concilia, quæ convocatione, celebratione, & exitu vere

œcu-

œcumenica ſunt, univerſam Eccleſiam repræſentent, fit profecto, ut quidquid ab illis definitum fuerit, id rectiſſime pro infallibili Eccleſiæ judicio habendum ſit; Concilia vero nationalia, & provincialia, etſi hujuſmodi per ſe non polleant auctoritate, tamen ſi ab univerſa Eccleſia recepta fuerint, & comprobata, certum veritatis argumentum exhibebunt. Hinc qui in Arauſicana Synodo de gratia conditi ſunt Canones, quoniam ab omnibus deinceps Epiſcopis ſumma conſenſione recepti ſunt, tanti ſemper in Eccleſia momenti fuerunt, ut qui iiſdem refragari auſi ſunt, tamquam homines Eccleſiæ univerſæ decreta rejicientes omnium ſententia fuerint exiſtimati.

X.

Eccleſiæ vero, ſive toto Orbe diffuſæ, ſive in œcumenicis Synodis coactæ, quando aliquod dogma credendum proponit, nulla fit nova revelatio, ac propterea novum fidei articulum non condit, ſed declarat duntaxat quod in verbo Dei ſcripto, vel tradito continetur. Hujus autem poſtremi tam gravis eſt in Eccleſia neceſſitas, ut ſine illo nutare undique fides noſtra debeat. Rejectis enim divinis traditionibus, nuſquam conſtare nobis certo poſſet quiſnam verus, germanuſque ſit ſacrarum litterarum ſenſus, qui in præcipuis

Chri-

Chriſtianæ Religionis capitibus obſcurus plerumque eſt, & intellectu difficilis. Multa præterea ſunt fide divina credenda, quorum nullum eſt in ſcripturis veſtigium; itaque ſi nullum adſit traditum Dei verbum, quo nobis ea credenda proponantur, nulla quoque eſſe poterit divina de iiſdem fides, quæ nec eſſe, nec intelligi poteſt ſine aliquo Dei verbo, cui innitatur. Quapropter niſi velimus dicere male Chriſtum Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſe, neceſſe eſt, ut divinas in Eccleſia traditiones agnoſcamus, quæ ab Apoſtolis ad nos uſque incolumes derivarint.

XI.

Divinarum traditionum teſtes nobis ſunt Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres, quorum nomine veniunt veteres illi Catholici doctrina, & ſanctitate præſtantes, quibus, ut ait Auguſtinus, plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus poſt Apoſtolos Sancta crevit Eccleſia; ſtudioſiſſimos hos verbi Dei traditi cuſtodes inerrantiæ privilegio gaudere aſſerimus, modo unanimi, communique aſſenſu aliquod ut fidei dogma proponant, pariterque ſtatuimus ſacrarum litterarum intelligentiam, quam in iis, quæ ad fidem, moreſque pertinent, ſacra ſibi conſentiens Sanctorum Patrum tenuit auctoritas, certam adeo eſſe, ut nullatenus poſſit in dubium revocari.

XII.

XII.

Præter hæc omnia, quibus veluti opportunis ſubſidiis vera Eccleſia Dei uberrime inſtructa eſt ad ſacrum revelationis depoſitum cuſtodiendum peculiares etiam habet characteres, quorum opera ab hæreticorum ſectis facili negotio diſtinguatur. Inter alios, quos Theologi numerant, præcipue eminent Unitas, & Apoſtolicitas, qui cum in unam Romanam Eccleſiam competant, hanc unam veram Dei Eccleſiam eſſe apertiſſime efficiunt; Romanæ autem Eccleſiæ nomine intelligimus hic totam fidelium multitudinem unam, eamdemque fidem profitentium ſub uno viſibili Capite Romano Pontifice. Jam vero jure ſtatuimus Chriſti Eccleſiam debere eſſe Apoſtolicam, quum ſolis Apoſtolis depoſitum fidei, & Eccleſiarum regimen commiſerit Chriſtus; Unam autem quum Eccleſiæ doctrina, a Chriſto, qui veritas eſt dimanans, una eſſe debeat, & unus conſtitutus ſit omnium Paſtor, qui ejus in terris vices gereret.

XIII.

Ampliſſimam nempe hanc auctoritatem, non honoris tantum, ſed poteſtatis, & juriſdictionis per univerſam Eccleſiam jure divino exercendæ D. Petro a Chriſto Domino collatam fuiſſe manifeſtiſſime docent ſacræ

lit-

litteræ, traditioniſque monumenta teſtantur. Perſpicua omnino ſunt verba, quibus Chriſtus illum allocutus (10): *Tu es*, inquit, *Petrus*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* ..... *Et tibi dabo claves regni Cælorum*, *& quodcumque ligaveris ſuper terram*, &c.; tum alia apud Joannem (11), cum agnos, & oves paſcendas illi ſpeciatim demandavit. Quibus Scripturæ locis tantam vim ineſſe, ut vera ex his poteſtas, & juriſdictio D. Petro tributa evincatur, & veneranda agnovit antiquitas, & ipſis Apoſtolis perſuaſum fuiſſe videtur, quibus ſi quando communis Petri, & ceterorum Apoſtolorum injicienda mentio eſſet, curæ erat illum præ ceteris nominare. Hinc merito illorum damnatus eſt error (12), qui omnimodam æqualitatem Petrum inter, & Paulum ponentes, parem utrique in regimine univerſalis Eccleſiæ poteſtatem tribuere videbantur.

XIV.

His de Petri primatu conſtitutis, facile eſt in primis docere, Romanam Eccleſiam Apoſtolicam eſſe; quum enim hæc ab avita Apoſtolorum doctrina minime deficiens, eamdem

(10) *Matth. XVI.* 18. 19.
(11) *Joan. XXI.* 15. 16. 17.
(12) *Inn. X. die* 24. *Jan.* 1647.

dem ſartam, tectamque cuſtodierit, & uſque nunc cuſtodiat, quemadmodum, ſi per inſtituti noſtri rationem liceret, de ſingulis quibuſque dogmatibus demonſtrari facili negotio poſſet. Quum vel ipſi adverſarii nec locum, nec tempus, nec auctorem proferre valeant, quo hæc, quam ipſi prædicant, ab Apoſtolorum doctrina defectio facta fuerit, quum inconcuſſe probari queat Romanæ communionis Epiſcopos ab aliis legitimis Epiſcopis rite ordinatos fuiſſe, donec ad Apoſtolos perveniatur, & quod ſatis eſt non interrupta Pontificum ſeries ducatur a PIO VI. feliciſſime nunc Eccleſiam regente ad Petrum uſque, qui primus a Chriſto Eccleſiæ præfuit, hinc Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicitas tum ratione doctrinæ, tum ratione regiminis jure meritoque vindicatur.

XV.

Iiſdemque fere argumentis, quibus Apoſtolicitatem probavimus, Romanæ Eccleſiæ unitas ſive in fide, ſive in regimine conſtabilitur. Hæc enim illa eſt, quam ſpectabilis antiquitas veluti omnium Eccleſiarum Matrem, atque Magiſtram, unde ſacerdotalis unitas emanavit, nullo non tempore eſt venerata, in hac omnes Romanæ communionis homines eoſdem fidei articulos, eadem dogmata ab ipſa Eccleſia definita ubivis ter-

rarum credunt, & profitentur, ſuntque omnes unius plane cordis, & labii, quod indubium eſt ſervatæ in fide unitatis indicium; aliud vero in unitate regiminis emicat, quod univerſa fidelium multitudo, toto licet orbe diffuſa, obtinet, dum Romano Pontifici viſibili Eccleſiæ Capiti, Chriſti in terris Vicario, Petrique ſucceſſori individua communione ſociatur.

XVI.

Primatum enim D. Petri, quem hujus unitatis tuendæ, ſervandæque gratia Chriſtus inſtituit, in Romanum Pontificem tranſire, hunc B. Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput eſſe, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, gubernandi Eccleſiam univerſalem a Chriſto plenam poteſtatem traditam fuiſſe ſumma utriuſque Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ conſenſione Florentini Concilii Patres aſſeruerunt: nec refert, quod opponunt Proteſtantes, nullum inveniri in ſacris litteris tantæ dignitatis veſtigium, præterquamquod enim ex Chriſti promiſſionibus Petro factis neceſſario conſequitur debuiſſe Petri prærogativam ad ſucceſſores extendi, nullus de hac veritate ambigendi locus eſſe poteſt, quæ conſtantiſſima traditione firmatur.

XVII.

Fruſtra itaque veræ Eccleſiæ nomen, & rem nobis eripere, & ad ſuas ſocietates transferre ſatagunt Proteſtantes, quum memoratas Eccleſiæ notas nullatenus ſibi poſſint vindicare; deficit enim apud illos Apoſtolica doctrina, a qua Romanam Eccleſiam deſerentes turpiter deſciviſſe probantur; deficit regimen Apoſtolicum, quum nulla apud ipſos ſit legitima Epiſcoporum ſucceſſio, ſeſeque ultro apud temerarios convenas ſine dominica diſpenſatione recipiant, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt, &, nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt; deficit unitas, quum tamquam acephali nulli viſibili Capiti adhæreant, a quo communi lege regantur, nec unam fidem concordes teneant, ſed pro ſocietatum varietate in varios, diſcordeſque errores miſere abripiantur.

XVIII.

Tametſi vero plerique ex hæreticis quoad quædam fidei capita, quæ ipſi marte ſuo fundamentalia vocant, aliquando conveniant, idcirco tamen exiſtimandi non ſunt, ut Jurius vult, ad unitatem fidei pertinere, a qua, juxta Scripturæ mentem, univerſam Eccleſiæ praxim, Patrum teſtimonium, merito exſectus cenſetur quiſquis vel unum quodcum-

que fidei dogma ab Eccleſia definitum pertinaciter rejicit. Ceterum quis non videat abſurdum hoc ſyſtema nec a nobis admitti, quin latiſſimam ad tolerantiſmum ſternatur via, nec apud ipſos Heterodoxos obtinere poſſe, quin infallibilis aliquis judex ſtatuatur, qui certo ſemel definiat quinam ſint fundamentales, qui vero non fundamentales articuli, circa quos non una viget inter Novatores ipſos opinio?

XIX.

Reſtat modo, ut ſcholaſticæ Theologiæ tueamur auctoritatem, quam hæretici, quoniam hac urgeri ſe ſentiunt, paſſim gaudent vellicare. Scholæ vere Theologos illos eſſe dicimus, qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, docte e litteris, inſtitutiſque ſacris ediſſerunt, quorum auctoritas, etſi non numero, & nomine, ſed pondere æſtimanda ſit, tanti tamen momenti eſt, ut communi illorum in re quidem gravi ſententiæ repugnare temeritatem ſapiat, concordi autem, & conſtanti de fide, aut moribus omnium Theologorum opinioni refragari errori certe, ne dicam hæreſi proximum videatur. Nec immerito ſcholæ Theologis propter miram ſcientiarum affinitatem Juris Pontificii prudentes accenſemus, quorum maxima quoque eſt in re theologica auctoritas. Atque

his

his paucis, quæ hactenus tradidimus locorum canon continetur, qui interni dicuntur, & theologicæ diſciplinæ principia veluti propria ſunt, cum in ipſa revelatione contineantur, aut in eadem enucleanda, illuſtrandaque verſentur.

XX.

Primas itaque auctoritati dedimus, cujus in Theologia præcipua ratio habenda eſt. Sed quoniam diſputari cum adverſariis nequit, niſi experimento ratio artis acceſſerit, hinc naturalis rationis non utilitas modo, verum etiam neceſſitas contra illos, qui a naturæ rationibus prorſus abhorrent, abunde eruitur. Sane vero magna cum laude, atque utilitate hunc etiam locum Scholaſtici plerique tractarunt, præſertimque D. Thomas, qui ceteris omnibus præſtitiſſe jure exiſtimatur. Nec dubium eſt, quin hæc, quæ de humana ratione ſtatuimus, ad Philoſophos pertinere etiam debeant, cum ipſi revera ſint, qui naturam ducem ſequuntur, in quorum numero ſine controverſia habendi ſunt Cæſarei Juriſconſulti, qui veram & ipſi Philoſophiam profitentur, quique proinde maximo in Theologia uſui futuri ſunt, & adjumento.

XXI.

Poſtremum denique locum ſibi vindicat humanæ auctoritas hiſtoriæ, ſive per aucto-

res fide dignos ſcriptæ, ſive de gente in gentem traditæ, non ſuperſtitioſe, & aniliter, ſed gravi, conſtantique ratione. Duplex autem eſt hiſtoriarum genus, alterum, in quo externarum gentium facta recenſentur, alterum ubi Chriſtianæ Reipublicæ enarrantur geſta. Quod ſi profana hiſtoria adeo peropportuna viſa eſt Patribus, ut illa ad Chriſtianæ fidei inimicos refutandos aliquando uterentur, quid demum dicendum erit de Eccleſiaſtica? Hanc nos tanti faciendam eſſe ducimus, ut ſi ſcriptoribus invicem conſentientibus nitatur, traditionis teſtimonium ſit minime contemnendum, locique interni, & proprii nomen poſſit ſibi quodammodo vindicare. Certe quantum utriuſque hiſtoriæ cognitione Theologus indigeat, vel illi abunde magno argumento ſunt, qui ejus inopia ſunt in varios errores lapſi, itaut non tam decorum Theologo futurum ſit illam probe tenere, quam turpe, & probrum in ejus ignoratione verſari.

DE

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

I.

CUm finis, qui ad beatitudinem homini propoſitus eſt, altior ſit, quam ut humanæ mentis acie perſpici poſſit, neceſſe ei erat ipſius a Deo cognitionem accipere; hæc vero cognitio nihil aliud eſt niſi fides, cujus virtus efficit, ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum eſſe Sanctiſſimæ Matris Eccleſiæ auctoritas comprobarit; nullis enim fidelibus poteſt accidere dubitatio in iis, quorum Deus auctor eſt, qui (1) eſt ipſa veritas; quum igitur fides noſtra tota quanta eſt divinæ revelationi innitatur, præſtat propterea hanc qua meliori ratione fieri poteſt poſſibilem, neceſſariam, & exiſtentem contra Deiſtas ante omnia adſtruere.

II.

Norunt apprime increduli quantum ipſorum cauſſæ decedat, ſi quod principio ponimus, poſſibilem eſſe revelationem, nobiſcum ſemel fateantur; illam igitur abſolute impoſ-

(1) *Joan. XIV. 6.*

ſibilem ipſo in diſputationis limine demonſtrare nituntur; quod quidem opinionis oſtentum ea præpotenti Deo detrahere non verentis, quæ impotenti homini attribuuntur, quam ſit abſurdum nemo non videt; nimirum ſi quotidiano uſu edocti fateri debent, hominem conceptus ſuos ita aliis enunciare poſſe, ut percipiantur, hanc in Deo quoque poteſtatem admittant neceſſe eſt, niſi Creatorem creatura deteriorem ineptiſſime velint efficere; quum vero aliorum enunciata capere mens humana valeat, Dei etiam loquentis ſenſus aſſequi eamdem poſſe non repugnabit.

III.

Major fortaſſe exoriri quæſtio poteſt de revelatione earum rerum, quæ humanum captum ſuperant; potiſſimum quum tot ceratinis veritatem alioquin claram, & indubiam convelare adniſus ſit Bælius, cujus opinioni & alii quamplurimi aſſentiri hac noſtra ætate minime dubitarunt; quorum omnium ſophiſmata difficile non eſt diluere, ſi diſcrimen percipiatur, quod intercedit inter ea, quæ ſunt ſupra rationem, & ea, quæ illi averſantur, ſi ſpecies a veritate, ſi exiſtentiæ ab eſſentiis, & quidem ex iſtis imperfectæ a perfectis, necnon utilitas a neceſſitate diſtinguatur; quamquam ſi cum iis ineunda diſputatio eſſet, qui impoſſibilem eſſe

dicunt

dicunt myſteriorum revelationem, eo quod nullam ex hac utilitatem nobis acceſſiſſe velint, plurimum immo commodi eorum manifeſtationem nobis attuliſſe facili negotio poſſemus demonſtrare.

IV.

Cum igitur Deus omnipotens ſit, & ſapientiſſimus, concedant Deiſtæ oportet potuiſſe ipſum divinam inſtitutionem hominibus communicare, nec ſolum potuiſſe, quinimo debuiſſe, ſumma ipſius providentia in tanta hac vulneratæ naturæ neceſſitate ſpectata; enimvero ad veritates tum naturales, tum ſupernaturales explorandas adeo hujus revelationis indigemus, ut citra ipſius ductum ad neutras pertingere unquam valeamus; nec Philoſophi hoc mihi loco opponantur, quorum ſpeculationi, & diligentiæ multas debemus veritates e tenebris, & longo ſitu magno cum ſcientiarum, artiumque ſplendore in lucem erutas; præterquamquod enim perraro accidit, ut hoc ſine ulla errorum commixtione factum ſit; non omnibus tantum mentis, & ocii datum eſt, quantum ad hoc contulere ſapientes; expedit autem, ut via, qua ad veritatis aſſecutionem perveniendum eſt, non ſolum compendiaria ſit, ſed ut omnibus peræque pateat, ſitque omnis falſitatis expers, cujuſmodi certe nemo humanæ

rationis tam arctis limitibus circumſcriptæ lumen audebit aſſerere; reſtat ergo, ut fateamur neceſſariam eſſe revelationem, quæ una poteſt hæc hominibus commoda præſtare.

V.

Sed ſi adeo retuſa eſt humanæ mentis acies, ut veritates naturales, quæ ipſius vires prætergredi non videntur, abſque errandi periculo penetrare nequeat, niſi in illarum inveſtigatione ſuppetias veniat divina revelatio, quo non hinc validius exiſtit argumentum eo magis neceſſariam hanc eſſe, ſi de ſupernaturalibus agatur; quis enim, amabo, Deo cultus exhibebitur, quem tanta majeſtate non ſuſpicemur indignum, niſi ille, cui præſtandus eſt aliquem ſibi pergratiſſimum dignetur commoſtrare; aut, quod nobis potiſſimum argumentum eſt, quomodo offenſi Numinis redigemur in gratiam, ſi quando ex humana infirmitate in malum prona a recti tramite fuerit deflexum? Hærebimus ancipites, fluctuantes, facinoris conſcientia exagitati, de venia incerti, verbo miſerrimi, nihil enim miſerius, quam in re graviſſima pendere; næ vero ſolemniter inſaniunt increduli, qui huic argumento reſpondent, religionem conſiſtere in quocumque cultu, præſertimque patrio, eodemque modo divinam reconciliandam eſſe benevolentiam,

quo

quo filiorum in patres diluuntur offenſæ, perinde ac ſi execrabilis tot gentium cultus divinitatem poſſit decere, aut ejuſdem piaculi ſit in Deum peccare, ac in hominem, ut pari etiam modo poſſit cum utroque gratia ſarciri.

VI.

Multoque minus revelationis neceſſitas elevari eo nomine poteſt, quod humano generi in profundum vitiorum delapſo Philoſophiæ viribus utcumque ſuccurri potuiſſe autumentur hæretici; quominus enim hoc fieret duplex obſtabat cauſſa; nimirum veritatum omnium ſummam colligere, quod in primis neceſſarium fuiſſet, nemo unquam Philoſophorum potuit; etſi enim nulla ſecta fuerit tam devia, nec Philoſophorum quiſquam tam inanis, qui non viderit aliquid ex vero, dum tamen contradicendi ſtudio, ut ait Lactantius, inſaniunt, dum etiam falſa ſua defendunt, aliorum etiam vera ſubvertunt; hæc autem perpetua inter ipſos diſſenſio perfectam præceptorum collectionem prohibebat, quam etiamſi fieri potuiſſe daremus, Philoſophi tamen ſuperſtitionibus ut plurimum implicati, popularibuſque præjudiciis obſequentes rude vulgus ediſcendæ Philoſophiæ ineptum edocere non potuiſſent; tantum igitur abeſt, ut Philoſophorum opera

exculta

exculta ratio ad homines recte inſtituendos ſatis virium habere potuerit, ut illam potius imbecillitatis ſuæ jure debeat pudere.

VII.

Ut vero in iis, quæ neceſſaria ſunt, nunquam deficit clementiſſimi Dei providentia, ita, revelationis neceſſitate probata, illam plane exiſtere liquido conſequitur; nequid tamen in tantæ veritatis confirmationem, quam totius diſputationis cardinem eſſe intelligimus, omiſiſſe videamur, libet alterius generis argumentis, iiſdemque ſolidiſſimis, rem uberius conficere. Re autem vera doctrina illa, in quam divinitatis ſymbolum cadit, ab hominibus eſſe non poteſt; porro talem eſſe doctrinam Chriſtianam ſuadent plurima; in primis autem ſanctitas, quæ in ipſa undequaque perſpecta tantopere elucet; quid enim poteſt ipſius dogmatibus, hoſtiis, præceptis, inſtitutiſque ſanctius inveniri? Quænam alia ſecta tam excellentem divinæ naturæ ideam noſtris animis ingeneravit, aut tam præſtanti cultu Deum eſt proſecuta, aut hominibus ad virtutis, honeſtatiſque regulas excitandis aptior unquam extitit, aut tam egregias ſancivit leges, quarum obſervatio & ſocietatis bonum promoveret, & ſingulorum vitam ſuaviter, beateque inſtitueret? Mirum vero ſi potuerit mens humana tale quidpiam excogitare.

VIII.

Mirabilis quoque ipſius per univerſum terrarum orbem dilatatio alterum, idemque ſplendidiſſimum hujus divinitatis argumentum ſuppeditat; qui enim fieri unquam potuit, ut tam exigua hominum manus, quos præcones ſuos laudat Chriſtiana Religio, rudes illos quidem, humili loco natos, deridiculo habitos, omni prorſus humano auxilio deſtitutos, nulliuſque utilitatis ſpe ductos, niſi quod capitis diſpendium ſe certo facturos non ignorabant, tantam obtineret fidem, doctrinæque chriſtianæ, quæ ceteras omnes vel magno apud ſapientes in honore habitas excludebat, quæ ſæcularia deſideria abnegenda docebat, quæ ſcandalum erat Judæis, ſtultitiaque gentibus, tantam apud nationes omnes breviſſimo temporis intervallo conciliaret auctoritatem illis præſertim ætatibus, quibus altiſſimas radices egerat idololatria, quibuſque populi vitiis indulgentes religionem illam ſenſuum illecebris adeo incommodam vel abſque armis protelare potuiſſent? Annon hæc tam mira propagationis adjuncta apertiſſime evincunt fuiſſe doctrinam hanc, divino auxiliante Numine, propagatam?

IX.

Quid vero ad hanc divinitatis notam confirmandam præter naturales ipſius promulgationis effectus

effectus cum Euſebio perſequemur? Ex quo enim Chriſtianæ doctrinæ per univerſum orbem diffuſæ verbis, & concionibus hominum aures afflari cœperunt, continuo factum eſt, ut qui ferini prius, ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem ſenioribus, & humanioribus inſtitutis manſueſcerent; itaque nec Perſæ, qui ſemel ejus diſciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt, nec Scythæ, quod in eorum quoque regionem Chriſti ſermo penetravit, humana jam carne paſcuntur, nec alia barbarorum genera inceſto filiarum, ac ſororum concubitu polluuntur, nec ad mares furioſæ libidinis æſtu mares ipſi rapiuntur, nec ceteras, quæ naturæ leges violant, corporis voluptates perſequuntur, nec canibus, atque vulturibus neceſſariorum, ac propinquorum ſuorum cadavera, quibus id quondam in more fuerat, objiciunt, nec ſenio jam confectis, ut antea, laqueos injiciunt, nec ſibi amiciſſimorum carne poſt obitum antiquo ritu ſaginantur, nec majorum inſtituto dæmonibus tamquam diis homines immolant, nec ſibi cariſſimos jugulant, falſa pietatis opinione deluſi; hæc nimirum illa ſunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infeſta quondam hominum vita habebatur, quæque Chriſtianam religionem cum brevi tam immanes mores

diu-

diuturnitate temporis ſirmatos deleverit, e Cælo vim ſuam, & ortum habere confirmant.

X.

Perperam autem Mahumetanæ, vel cujuſcumque alterius, ſi Deiſtis placet, religionis rapidi objicerentur progreſſus; hujus enim difficultatis futilitatem vel ipſi facile ſenſerint, ſi in inveſtigando modo, quo vaferrimus ille Turcarum legislator doctrinæ ſuæ peſtem differendam curavit, obiter tantum velint immorari; vulgi enim imperitiam ſubdolis artibus ludere, populis vitiorum cœno ſordidatis legem ſuadere ſenſibus, & voluptatibus indulgentem, carnis ſordibus inhiantes carnalibus vel poſt ipſa fata propoſitis præmiis ſibi devincire, obices, ſi quos forte poſuiſſet honeſtas, armorum vi ſuperare, nihil certe tam mirabilis præſefert, ut, ducto ex hac propagatione exemplo, poſſint adverſarii ſuperioris ratiocinationis noſtræ vim quoquomodo infirmare.

XI.

Venio nunc ad Martyres, quorum in perferendis tormentis, morteque ipſa viriliter oppetenda invicta animi præſentia, divini, quo regebantur, auxilii teſtimonium præbet ſingulare; nimirum Chriſtianorum conſtantia non brevis aliquis furor fuit, ſed tranquilla

pacati

pacati animi firmitas per tercentos annos ſemper æqualis, & conſtans, nec in paucis aliquibus ſtrenuum a natura animum ſortitis emicuit, ſed in infinita propemodum multitudine, in viris, in mulierculis, in adoleſcentibus, in ſenibus, in pueris, in puellis, in proceribus, in humilibus, in ſapientibus, in rudibus. Erat hæc fortitudo non mediocris aliqua firmitas animi, ſed ſumma, & incredibilis, quam non ignis, ferrum, beſtiæ, non clavorum ſuffixiones, profundi maris gurgites, totius corporis mutilationes, non famis, metalla, vincula, & quidquid ferocius Judaicæ, Romanæque immanitatis ingenium excogitavit, vincere, aut commovere quoquomodo potuerunt; tantam vero fortitudinem, tam diuturnam, tam univerſalem, tam incredibilem, cujuſmodi apud falſos cujuſcumque alterius ſectæ Martyres nullum invenitur exemplum, quam nec natura, nec alia humana cauſſa Martyribus indere potuit, quis neget eſſe divinam?

XII.

Chriſtianam denique Religionem divinam eſſe declarant miracula, quibus certiſſimo veluti divinitatis ſigillo obſignatur. Ex pluribus autem ſignis, quibus miſſionis ſuæ veritatem Chriſtus comprobavit, duo ſolum luculentiſſima, Lazari nempe, & Chriſti reſurrectio-

rectionem in medium placet afferre, de quorum veritate nec ab ipſis incredulis, contra quos agimus, ob miram teſtium multitudinem, & conſenſionem ambigi aliquo modo poteſt. Certe ad illam evincendam ſufficere deberent Judæi, quorum quo infenſius, acerbiuſque erat in Chriſtianos odium, eo validius deberet in re noſtra eſſe teſtimonium; ſcilicet Principes Sacerdotum, viſo Lazaro reſuſcitato, cum tantum miraculum Domini tanta eſſet evidentia diffamatum, tantaque manifeſtatione declaratum, ut non poſſent vel occultare quod factum erat, vel negare, veriti ne multos ex Judæis ad Chriſtianam religionem prodigii vis pertraheret, in tantum ſtupiditatis devenerunt, ut de interficiendo Lazaro cogitarent, perinde ac ſi Chriſtus, qui excitare potuit mortuum, ſuſcitare non poſſet occiſum; ſed enim utrumque in Lazari, & ſuimetipſius reſurrectione ſplendidiſſime Jeſum præſtitiſſe facile nobis eſt contra Woolſtonum demonſtrare.

XIII.

Jamvero prodeant nunc cum ſuis miraculis ceteræ ſectæ, an apud illas noſtrorum ſimilia, aut ſaltem veri nominis miracula invenies? Certe Tullius de Ethnicorum miraculis ſcribens illa fabulis accenſet, quæ ut ut delectationem habeant quantum volunt,

au-

auctoritatem certe nullam habent. Recte vero. Sunt enim plura ex illis Divini Numinis majeſtate prorſus indigna; ſunt plura phœnomena verius, quam prodigia utpote naturæ vires non excedentia, quæque eo facilius miraculi fidem illis ætatibus obtinere valuerunt, quo imparatiores ad ſcrutandam naturam Philoſophi accedebant; plura etiam dolo malo conficta præſtigia potius dicenda ſunt, quibus vulgares animi, qui longe magis fucis, quam veris capiuntur, miſere circumveniebantur; in horum autem numero, ſiquæ ad miraculi naturam propius videantur accedere, adeo incerta ſunt, & ſcriptoris fide digni teſtimonio deſtituta, ut nemo prudens aſſenſum ſuum ab illis unquam non cohibuerit.

XIV.

Quamobrem cum inſignibus illis notis, quæ ad alicujus religionis comprobandam divinitatem neceſſariæ ſunt, ceteræ quæcunque ſectæ deſtituantur, iiſdemque Chriſtiana Religio ſplendidiſſime decoretur, hanc idcirco divinam eſſe, divinæque revelationis beneficio gaudere luculentiſſime conſequitur; jamvero religio, quæ Deum habet auctorem, falſitatis inſimulari nequit, cum Deus nec falli, nec fallere poſſit; vera itaque eſt Chriſtiana Religio, vera, inquam, ob evidentia,

tia, & extrinſeca credibilitatis momenta, quæ miram ipſi conciliant auctoritatem, ſive ſpectetur in ſe, ſive conferatur cum aliis ſectis, Polytheiſmo, Mahumetiſmo, & Deiſmo, quas proinde fallaces, & commentitias non dubitamus aſſeverare.

XV.

Denique cum veritas una ſit, non multiplex, veram religionem revelatam unicam etiam dicere oportet; cumque cæcitati voluntariæ jure obtingat ruina, cæcus autem ſit ille, qui revelatæ religionis lumen nolens agnoſcere, in illius ſe ſinum recipere detrectat, merito æternæ ſalutis aditum cuicumque præcluſum iri ſtatuimus, qui illam non fuerit amplexatus; ſed Chriſtiana religio, ut ex hactenus allatis liquido conſtat, vera religio eſt, immo una vera, omnes igitur extra illam vagantes ſempiternæ beatitudinis naufragium abſque dubio facturos jure pronunciamus.

XVI.

Huic Chriſtianæ doctrinæ quicunque adhæret fidelis vocatur, & eſt; definitur enim fides virtus a Deo nobis infuſa, qua propter ipſius Dei revelantis auctoritatem firmiter aſſentimur iis, quæ nobis a Deo revelata ſunt; hujus porro neceſſitatem ſatis in-

dicant Apoſtoli verba (2), *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, quæ de explicita fide ſupernaturali in Deum ut gratiæ auctorem intelligenda eſſe præmiſſa ab eodem Apoſtolo fidei definitio liquido demonſtrat; unde vetus Gnoſticorum error exploditur exiſtimantium Philoſophos Paganos nulla ſupernaturali fide, ſed ſola Dei, ut auctor naturæ eſt, cognitione inſtructos æternam adeptos fuiſſe ſalutem; cum vero præceptum fidei modo affirmativum ſit, modo negativum, hinc pro diverſa utriuſque natura tenentur aliquando fideles fidem exterius profiteri, nunquam vero poſſunt aut omnino negare, aut ſimulatis officiis exterius tantum mentiri.

XVII.

Quemadmodum autem fide tamquam in ſpeculo quodam videmus ea, ad quæ propter infirmitatem noſtram non poſſumus aciem mentis intendere, ita ſpe ad ea, quæ non cernimus ipſi, ſed eſſe credimus, exſpectanda generoſa quædam virtus animi confirmatur; eſt autem ſpes virtus a Deo infuſa, qua divinis pollicitationibus, & Jeſu Chriſti meritis præſertim innixi æternam beatitudinem, mediaque ad illam conducentia ab infinita Dei miſericordia aſſecuturos nos eſſe certo con-

(2) *Heb. XI. 6.*

confidimus; & hæc quidem fiducia tanti facienda eſt, quanti ſalus æterna, quæ ſine ipſa obtineri nequit; quare optime ſibi conſulunt fideles, qui Chriſtianam hanc virtutem crebris actibus fovere, enutrire, confirmare ſatagunt; peſſime vero quidam præpoſtere religioſi, & jampridem condemnati (3), qui falſa pietatis ſpecie ducti in hoc perfectionis apicem conſtituebant, ut, omni cæleſtis præmii ſpe penitus abjecta, ſolius caritatis puræ, ut ipſi dicebant, motivo operarentur.

XVIII.

Ad ea demum diligenda, quæ & eſſe credimus, & conſecuturos nos eſſe ſperamus caritate voluntas noſtra accenditur, virtute nimirum divinitus quoque infuſa, qua Deus propter ſe diligitur, & proximus propter Deum; hæc virtus omnium potiſſima eſt, vinculum perfectionis (4), & mandatorum ſumma, ideoque tam ſevere præcipitur, ut quicunque dilectione caret, teſte Joanne (5), morti deputetur; quod etſi nemo hucuſque palam negare ſit auſus, dolendum tamen vehementer eſt extitiſſe aliquos, qui tantum Domini mandatum oblique labefactare moliti

(3) *Joan. XXII. Innoc. XI., & poſtremo ab Innoc. XII. 12. Martii 1699.*

(4) *Coloſſ. III.* 14.

(5) *Ep. I. III.* 14.

liti ſint docentes formalem, explicitumque amoris actum dominica lege non juberi, ſed integram duntaxat præceptorum cuſtodiam; quam doctrinam utpote ſcripturis, Patribus, Eccleſiæque Catholicæ adverſantem merito rejiciendam exiſtimamus.

DE DEO HOMINE FACTO.

I.

Niſi Chriſtus adeo dilexiſſet nos, ut traderet ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis, delens quod adverſum nos erat chirographum decreti, & affigens illud cruci, nullatenus natura humana ad auferendum peccatum mundi inepta, veteris Adæ damna ſarcire potuiſſet; neceſſe iccirco fuit, divina providentia ita poſtulante, ut Dei, & hominis mediator, per ſuam cum utroque cognationem, ac neceſſitudinem, ambos amicitiæ fœdere inter ſe conciliaret. Qua enim ratione (1) filiorum adoptionis Dei participes eſſe poſſemus,

(1) *Iren. lib. 3. cap. 20.*

mus, niſi Verbum ejus caro factum, dignatum eſſet nobiſcum communicare?

II.

Hanc Deus ipſe ſoſpitatoris ſpem in multis hominibus, quibus voluit ſingularis benevolentiæ argumentum præſtare, jam inde a mundi initio excitavit, maximamque venturi Meſſiæ exſpectationem commovit; atque ad hunc deſignandum celebri ſuo oraculo (2) reſpexiſſe Jacobum, ambigendum non eſt, quum ibi ea præſertim uſurpentur nomina, quibus indicari in ſcripturis ſolet (3) Meſſias, taleſque ponantur characteres, qui in ipſum unum poſſunt quadrare; immo vero hanc ſibi inſediſſe ſententiam non ſolum conceptis verbis (4), ſed & factis veteres Judæi docuerunt, cum Judaicam tribum in ceteras dominari paſſi ſunt, eidemque in donorum oblatione (5) primas, figendiſque tentoriis (6) Orientalem plagam tribuerunt, tantum honoris huic tribui numquam delaturi, niſi Jacobæum oraculum de naſcituro ex ipſa Meſſia fuiſſent interpretati.

 III.

(2) *Gen. XLIX.* 10.

(3) *Iſ. XVI.* 1. *Habac. II.* 3. *Matth. XI.* 3.

(4) *Apud Origen. lib.* 4. *Periarch. cap.* 1.

(5) *Num. VII.* 12.

(6) *Num. II.* 3.

III.

Quapropter quum hæc vaticinatio Meſſiam indicet, ejuſque adventum eo tempore futurum prænotet, quo ſceptrum de Juda auferetur, hoc vero jamdudum ſublatum ſit; cum Titi, & Veſpaſiani temporibus ſuſdeque turbatis Hebræorum rebus, exciſis mœniis Hieruſalem, exactiſque civibus omnis illorum dominatio non in tribu Judæ tantum, ſed in tota quanta erat Hebræorum natione ceſſavit, cum extorres abſque lege, duce, ſacerdote, hoſtiis, libertate, omnium oculis vileſcentes hac illac miſerrime peregrinari cogantur; cum eo in loco illorum res ſint, ut nihil jam præter commentitios principatus habeant, quodque Oſeas (7) prænunciaverat, omnino compleverint; ſequitur maximo in errore verſari Judæos, qui vana ſpe ducti Meſſiæ adventum adhuc præſtolantur.

IV.

Nimirum in haſce terras ipſum ſe jam contuliſſe ſuo etiam oraculo auctor eſt Aggæus; cum enim e Babylonica captivitate reduces Hebræi ſecundo Templo excitando adlaborantes vehementer dolerent, quod primi Templi ſplendore, & magnificentia ſecundum hoc longe videretur inferius, illorum mœſtitiam Dei nomine blande conſolaturus Aggæus, multo

(7) *Oſ. III. 4.*

multo majorem alterius hujus, quam Salomonici Templi gloriam fore pollicitus eſt, non quidem auro, argentove æſtimandam, ſed ex ſummi viri, qui illud præſentia ſua dignaturus erat, numine, & majeſtate: *Adhuc unum modicum eſt* (8), *& ego commovebo Cælum, & terram, & mare, & aridum, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ ..... & in loco iſto dabo pacem.* Cum vero a tempore, quo facta eſt hæc Meſſiæ poſt modicum venturi promiſſio, multo amplius quam modica ætas elapſa ſit, cum Templum, quod ab ipſo illuſtrandum erat pluribus abhinc ſæculis dirutum, everſumque fuiſſe conſtet, liquido efficitur jampridem adventaſſe Meſſiam, qui poſt unum modicum Zorobabelico Templo gloriam, & pacem allaturus promittebatur.

V.

Judæi quidem, ut ne ſuam imperitiam fateri cogantur, non ex præſentia Meſſiæ, ſed ex diuturniore Templi duratione, ex ſplendidis muneribus, quæ Ptolomæus, Andromachus, aliique Principes ad locupletandum, ornandumque Templum contulerunt, aut denique

(8) *Ag. II.* 7. 8.

nique, ſi de aliquo ſummo viro intelligendum ſit oraculum, ex Alexandri M. majeſtate, qui Templum hoc inviſit, uberiorem Zorobabelicæ domus gloriam volunt eſſe repetendam: ſed præterquamquod priora illa germanam oraculi mentem elidunt, nullamque veri faciem habent, miramur quammaxime Hebræos uſque adeo hallucinari, ut Alexandrum Magnum, qui ſe Jovis Ammonis filium jactabat, tamquam optatum novi fœderis nuncium, quæſitumque dominatorem haberi velint, & in Angelum Teſtamenti a Malachia prædictum (9) temere adoptarint.

VI.

Certe vero ſi velint aliquando ſapere Judæi, non ad Macedonum Regem, ſed ad Jeſum Nazarenum Jacobi, Aggæi, & Malachiæ vaticinia ſpectare, in eoque complementum habuiſſe deprehendent; extrema ſiquidem moliente Judaica poteſtate, natus eſt Chriſtus, gentium, quibus nunquam perperam prædicatus eſt, vera exſpectatio. Ipſe Cælum, mare, terramque commovit, demiſſis e Cælo Angelis nativitatis præconibus, nova in Cælis illuceſcente ſtella, ſubjecto greſſibus æquore, ejuſdem fluctibus nutu ſedatis, reſeratis in morte ſua dormientium ſe-

pul-

(9) *Malach. III.* 1.

pulchris, terraque concuſſa. Ipſe pacem dedit in Templo Zorobabelico, quum illuc a Parentibus puer delatus Simeonem, Annam, & quoſcumque ſalutare Iſrael exſpectantes ſuaviſſima animi voluptate perfudit, cum quotidie in Templo docebat, miſſionemque ſuam miraculis illuſtrabat. Ipſe denique verus Teſtamenti Angelus fuit, qui ſuos omnes idololatriæ tenebris ereptos, legiſque Judaicæ ſervitute ſolutos in Evangelicæ lucis, & libertatis gratiam novo icto fœdere vindicavit.

VII.

Illuſtria ſane hæc ſunt, quæ Chriſtum verum Meſſiam eſſe indubitanter efficiunt, ſed illuſtriora ſuperſunt, novum ſcilicet, atque mirabile ſignum ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra daturus Deus Achazzo Regi, ex quo cognoſceret Urbem Hieroſolymam, quam primum liberandam prædixit per Iſaiam (10) fore, ut virgo conciperet, & pareret filium, cujus nomen vocaretur Emmanuel. Porro Mariam Chriſti Matrem hoc vaticinio indicatam filium ſuum non viri, ſed Spiritus Sancti operante virtute conceptum, virginitatis quoque gloria permanente peperiſſe, ſuo teſtatur Matthæus (11) Evangelio, cujus auctoritatem jam alibi vin-

(10) *Iſ. VII.* 14.
(11) *Matth. I.* 22. 23.

vindicavimus, aliaque pene innumera argumenta contra pertinaces Hebræos iſtuc oraculi ineptis interpretationibus detorquentes apertiſſime evincunt.

VIII.

Nedum vero ſuperiora vaticinia, verumetiam inſignem Michææ prædictionem (12), & ne longum faciam cetera omnia Prophetarum oracula Meſſiam ſpectantia in Chriſto complementum habuiſſe confidentiſſime ſtatuimus; quæcumque enim Meſſiæ adventum, perſonam, vitæ rationem, mortiſque genus reſpiciunt, patria, ortus, familia, Præcurſor, ſtella, Magorum adoratio, nomen, puerorum cædes, in Ægyptum fuga, divinitas, doctrina, miracula, abjectio, paupertas, ærumnæ, cruciatus, flagra, ſuffixio in crucem, reſurrectio, aſcenſus ad Cælum, ceteraque id genus omnia adeo in Chriſtum quadrant, ut præ mira rerum omnium ſimilitudine dixeris veteres Prophetas Meſſiam prænunciantes, non vaticinia fudiſſe, ſed Chriſti potius hiſtoriam, quaſi oculatos teſtes deſcripſiſſe.

IX.

Ad hæc nemo hucuſque prodiit, qui aliqua veritatis ſpecie Meſſiam ſe eſſe probaverit; Herodes, ut fertur, habitus Meſſias

a

(12) *Mich. V. 2.*

a pluribus: habitus a Joſepho Veſpaſianus, ab omnibus nunc rejiciuntur; Theodas, & Judas Galilæus (13), fuſis, diſſipatiſque eorum aſſeclis, breviſſimo tempore miſerabiliter perierunt. Idem II. ſæculo accidit Barcochebæ, idem VI. cuidam Juliano, qui certiores Judæos fecerat omnem ſe Chriſtianum populum funditus deleturum. Homo denique fallaciſſimus Sabbathai Levi, qui ſuperiore ſæculo immenſam fere ex Aſia, Affrica, Europa Judæorum multitudinem ſibi adjunxerat, ad Turcas viliſſime defecit; hos itaque, alioſque, qui Meſſiæ dignitatem temere ſibi arrogarunt, quum brevi compertum fuerit homines fuiſſe totos ex fraude, mendacioque compoſitos, cum eorum familiæ in nihilum redactæ ſint, ſola autem Chriſti religio per totum terrarum orbem pervaſerit, neque modo ab initio extincta non fuerit, ſed mirificis captis incrementis poſt ſæcula XVIII. latiſſime fuerit propagata, cum Chriſtus tempore divinitus ſtatuto prodierit, Meſſiamque ſe eſſe voce, & prodigiis declaraverit, cum demum nulla in eum cadat fraudis ſuſpicio, quis non videat illum Meſſiæ loco venerandum, atque colendum?

X.

(13) *Act. V.* 36. 37.

X.

Agnovit hoc Joſephus, cujus teſtimonium eo majoris ad Chriſtianum dogma contra Judæos confirmandum ponderis eſſe debet, quod ab homine Judæo ex illuſtri Pontificum familia oriundo, Judaicæ religionis ſtudioſo, & gravis apud ſuos populares auctoritatis fuerit prolatum. " Fuit autem, inquit (14),
„ hoc tempore Jeſus vir ſapiens, ſi tamen
„ virum eum oportet dicere; erat enim mi-
„ rabilium operum effector, magiſter homi-
„ num, qui libenter vera amplectuntur, &
„ plurimos quidem Judæos, plurimos etiam
„ ex gentibus ad ſe pertraxit: Chriſtus hic
„ erat. Cumque eum a primoribus gentis
„ noſtræ accuſatum Pilatus cruci addixiſſet,
„ ab eo diligendo non deſtiterunt, qui pri-
„ mum cœperant: apparuit enim illis poſt
„ tertiam diem vivus, cum divini vates hæc,
„ & alia quamplurima admiranda de eo
„ prædixiſſent, & uſque in hodiernum diem
„ Chriſtianorum genus ab eo denominatum
„ non defecit ". Ne autem præclarum hoc de mirabili Chriſti virtute, prodigiis, reſurrectione, deque Prophetarum circa ipſum vaticiniis teſtimonium ſuo auctori abjudicent Hebræi, ipſius icci rco authentiam ab intemperantium criticorum calumniis ſolide vindicamus.

XI.

(14) *Antiq. Judaic. lib. 18. cap. 4.*

XI.

Convicta teſtibus, & rebus ipſis Judæorum pertinacia, reſtat, ut offuſam hæreticorum animis caliginem diſſipemus. Nihil enim prodeſt ad ſalutem, ſi Jeſum Meſſiam eſſe concedas, illius autem divinitatem perverſitate doctrinæ audeas inficiari. Hujus erroris poſtulati olim ſunt Ebionithæ, Cerinthiani, Artemonitæ, aliique, ad quos noſtris hiſce temporibus acceſſerunt Sociniani, quibus ratum eſt Jeſum non veri nominis Deum eſſe, ſed iccirco Filium Dei dici, quod a morte ad vitam redierit. Velint autem, nolint, Jeſum tamen verum Deum eſſe ſplendidiſſime efficiunt veterum Prophetarum præconia, novi Teſtamenti libri, præſertimque Joannis Evangelium, perpetua, & conſtans traditio, Eccleſiæque Catholicæ fides, quæ perniecioſam adverſantium hæreticorum colluviem nullo non tempore eſt execrata.

XII.

Cavendum tamen eſt, ne dum Jeſum verum Deum eſſe fatemur, humanitatem ipſi per ſummum piaculum denegemus: *Deſcendens quippe de Cælis Filius Dei ante ſæcula genitus, ut homo naſceretur in tempore, totum hominem ſuſcepit, & ita ſe illi, atque illum ſibi miſericordiæ, & poteſtatis ratione conſeruit, ut utraque alteri natura ineſſet, &*

neutra

neutra in alteram a ſua proprietate tranſiret (15). Quo fit, ut duplicem in Chriſto naturam, divinam, & humanam, utramque integram, diſtinctam, inconfuſam, & impermixtam cum Eccleſia Catholica ſtatuamus.

XIII.

Quemadmodum autem in Chriſto naturæ duæ, ita ſunt & duæ voluntates, & duplex operatio, una divinitatis, alia humanitatis propria, ſecus ac de perſona ſentiendum ſit; cum enim naturæ duæ, proprietateſque earum tam contrariæ, pugnanteſque inter ſe de eodem Chriſto in ſcripturis enuncientur, cum uni, eidemque perſonæ ea, quæ ſunt Dei, & hominis propria attribuantur, neceſſario relinquitur unam, eamdemque divinam in Chriſto adeſſe perſonam.

XIV.

Hinc autem elucet quam turpiter erraverit Eutyches aſſerens duas quidem ante unionem hypoſtaticam fuiſſe diſtinctas Chriſti naturas, poſt unionem vero unam factam eſſe (16). Cujus erroris monſtrum merito condemnarunt in comitiis ſuis tum Conſtantinopolitani, tum Chalcedonenſes Patres. Quamquam enim delirus ille, & imperitus ſenex, ut

(15) *Leo M. ſerm.* 13. *de Paſſ. cap.* 1.

(16) *Flavian. Conſt. Patriarch. Ep. I. & II. ad S. Leonem P.*

ut Leonis M. vocibus utar, numquam adduci potuerit, ut ſententiam ſuam aperte indicaret, docens quo pacto unam tantummodo in Chriſto naturam poſt unitionem ſuperfuiſſe ſentiret, num ſcilicet commixtione, ut ex elementis ſimul permixtis corpus conflatur, num compoſitione, ut ex anima, & corpore homo coaleſcit, num denique converſione humanæ naturæ in divinam, aut e contra, tamen quomodocumque acciperetur ſemper certum erat Catholicam de Chriſto fidem blaſphemo ſermone violari.

XV.

Eutychianæ hæreſi affinis eſt impius Monothelitarum error duas Chriſti naturas, quas oretenus prædicabant re ſubvertentium. Cum enim exiſtimarent, ut inquit Pyrrhus diſputans cum Maximo, fieri non poſſe, ut ubi duæ adſunt voluntates, ibi nulla ſit pugna, nulla contrarietas, unam iccirco in Chriſto voluntatem, unamque operationem divinam admittebant, humanam negabant, ne qua ſcilicet in ipſum caderet diſcordiæ ſuſpicio; ſed hæc difficultas non movit Patres, quorum ſollicitudine, & ſapientia damnatus, & extinctus eſt Monotheliſmus in Concilio Conſtantinopolitano III. Cum enim humana Chriſti voluntas divinæ pareret, totamque ſe ad

illius nutum, arbitriumque conformaret, nulla pertimeſcenda erat inter utramque diſſenſio.

XVI.

Humanam denique Chriſti naturam ſuſtollere inter ceteros molitus eſt Valentinianorum grex, qui Chriſti corpus ſidereum, atque e Cælo delapſum, non Beata Maria genitum comminiſcebantur. Sed Valentinum ſacrilegæ falſitatis arguit Archangelus Gabriel Mariam ſic allocutus (17), quod naſcetur *Ex Te* ſanctum vocabitur Filius Dei: arguit Apoſtolus (18); arguit unanimis Patrum omnium ſententia, juxta quam ſtatuimus Jeſum Chriſtum corpus ſuum ex Maria Virgine tamquam verum filium traxiſſe.

XVII.

Suos etiam perſona Chriſti nacta eſt adverſarios, facem iſtis prætuliſſe creditur Leporius monachus duas Chriſto perſonas affingens; ſed is, auctore præſertim Auguſtino, hæreſi revocata, egregie deinceps rem adjuvit Catholicam; contra vero Neſtorius felicibus auſpiciis Conſtantinopolitanum Patriarchatum ingreſſus brevi temporis intervallo ad hæreſes divertere, duaſque in Chriſto perſonas primum ſecernere cœpit. Itaque, ut ait Cæleſtinus Pontifex (19), *bonis principiis malus*

(17) *Luc. I.* 35.
(18) *Gal. IV.* 4.
(19) *Ep. ad Neſt.*

malus ſucceſſit eventus. Blaſphemum hunc Neſtorii errorem turpiter poſtremis hiſce temporibus refricuerunt nonnulli hæretici, præſertimque Bælius, & Joannes Clericus, contra quos oſtendimus nullam eſſe in unitate perſonæ repugnantiam, quam ipſi ſacrilege comminiſcuntur.

XVIII.

Latius deinde ſerpens Neſtorianæ hæreſeos virus ampliorem in dies perniciem invexit; duabus enim ſemel poſitis in Chriſto perſonis, negans Neſtorius Deum eſſe illum, qui in utero Virginis formatus fuerat, eam ob rem cenſuit Virginem Mariam non Deiparam, ſed Chriſtiparam eſſe appellandam, ſceleſtaſque Dorothæi voces in hanc ſententiam coram frequenti populo blaſphemantis ſuo calculo probavit; ſed impium hoc conſectarium iiſdem argumentis refellimus, quibus unitatem perſonæ tuemur. Si enim Neſtorius unam in Chriſto cum Eccleſia Catholica perſonam ponat, ſtatim fateri cogetur Mariam, quæ Chriſtum, Deum ſcilicet, & Hominem, genuit, Dei Genitricem eſſe æquo jure nominandam, non quaſi Divinitatem genuerit, quod improbum eſſe cognoſcimus, ſed quia Verbum Divinum ante ſæcula a Patre genitum alteram ex Matre Maria ſecundum carnem ſubiit generationem.

XIX.

Ad Neſtorianam hæreſim jam pene ſopitam ſub finem ſæculi VIII. inclinare viſi ſunt Felix, & Elipandus, qui Chriſtum Filium Dei non naturalem, ſed adoptivum aſſerere non dubitarunt. Porro hic loquendi modus, ſi de vera, & propria perſonæ adoptione intelligatur, qualis Felicianorum ſenſus fuiſſe videtur, hæreticus certe eſt cum duas Chriſto perſonas neceſſario imponat; ſin vero uſurpetur ad naturæ humanæ, quam Filius Dei aſſumſerat, adoptionem improprie ſignificandam, defendi aliquo modo poteſt. Ceterum, auctore Auguſtino, curandum ſemper eſt, ut ad certam regulam loquamur, *ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.*

XX.

Rectam incarnati Verbi doctrinam hactenus dictis breviter complexi, Gentiles, Judæos, Socinianos, noſtrique temporis Deiſtas, qui plurimas, maximaſque repugnantias in hoc magno pietatis ſacramento adeſſe comminiſcuntur, ultimo loco refellendos ſuſcipimus ſtatuentes cum rectæ rationis decretis non repugnare Incarnationem, quæ definiri recte poteſt primarium Chriſtianæ Religionis Myſterium, quo profitemur, & credimus Dei Filium in plenitudine temporum

huma-

humanam ſuſcepiſſe naturam veram, & integram in unitate perſonæ ad hominum genus redimendum.

DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

I.

INter eximios dominicæ Incarnationis fructus ea divinæ gratiæ ſymbola merito recenſentur, per quæ *omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur* (1); novæ ſcilicet legis Sacramenta, quorum vel ipſum nomen funditus tollere initio ſchiſmatis admoliti ſunt Lutherus, Melancton, Zuinglius, eo quod nec in primigenio Scripturarum textu, nec in latinis earumdem verſionibus, nec apud optimos latinæ linguæ magiſtros Sacramenti vocabulum illam ſententiam referat, quam Romana illi ſubjecit Eccleſia; nunc vero quum Novatores inter, & Catholicos jam conveniat ampliorem hujus vocis notionem rectiſſime uſurpari ad id ſignificandum, ad quod aſſumpta eſt,

(1) *Concil. Trid. ſeſſ. 7. de ref. in proœm.*

eſt, ſupervacaneum ducimus hoc ipſum Scripturarum oraculis, & Patrum teſtimoniis comprobare.

II.

Utilius profecto erit Sacramenti vim, & naturam diligenter inveſtigare, in qua explicanda Catholicæ doctrinæ omnino repugnant adverſarii; quum enim capitalis illorum error ſit ſola divinarum promiſſionum fide homines juſtificari, eaque ſola juſtitiam Chriſti apprehendi, & noſtram quodammodo fieri; hinc veluti ex vitiata radice exitioſi eorumdem errores pullularunt, ſcilicet ad ſolam nutriendam fidem Sacramenta inſtituta fuiſſe, non aliud illa eſſe, quam acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ exteriora ſignacula, ſigilla, pignora, & quaſdam Chriſtianæ profeſſionis veluti notas, quibus fideles ab infidelibus internoſcuntur, atque in id demum procuſæ a Novatoribus Sacramenti definitiones conſpirant omnes, ut quælibet conferendæ gratiæ efficientia Sacramentis evangelicis adimatur; harum autem perverſitatem, & vitium facile eſt cognoſcere, ſi veterem univerſæ Eccleſiæ fidem obiter ſaltem lubeat reſpicere, juxta quam ſemper creditum eſt Sacramentum rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet,

ſicuti

ſicuti ipſamet docet apud fideles pervulgata, & recta Sacramenti definitio, quam nunc ſuſcipimus vindicandam.

III.

Quemadmodum autem in Sacramentorum definitione, ita & in eorumdem conſtituendo numero nec nobiſcum, nec ſecum ipſis Heterodoxi conſentiunt. Primo enim Lutherus unum, Calvinus, & Philippus Melancton duo, Brentius tria, deinceps quatuor, poſtremo plura, & iterum pauciora admittere viſi ſunt, ut paſſim in variationum hiſtoria Boſſuetus animadvertit; adverſus iſtiuſmodi errores Tridentini Canonis (2) defenſionem ſuſcepturi, ubi ſeptenarius Sacramentorum numerus aſſeritur, invicto tum præſcriptionis, tum traditionis argumento demonſtramus doctrinam ibi propoſitam antiquitatem habere, univerſitatem, & conſenſionem, ideoque vere, & proprie Catholicam eſſe; quum vero Eccleſiæ fides non ex peculiari cujuſpiam privati hominis placito, ſed ex communibus, authenticis, & publicis monumentis ſit æſtimanda, perperam certe Sacramentarii faciunt, dum ad privatos quoſdam ſcriptores confugiunt, ut noſtrum ex præſcriptione, & traditione ductum argumentum valeant infirmare.

(2) *Seſſ.* 7. *can.* 1.

IV.

Singula hæc novæ legis Sacramenta a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta fuiſſe, nulla ſubeſſe quæſtio poteſt, præſertim poſt Tridentinum Canonem (3), quo id ſapientiſſime cautum; immo communis, quam libentiſſime ampleƈtimur, Theologorum ſententia eſt, Chriſtum nullius Sacramenti inſtituendi poteſtatem Apoſtolis, vel Eccleſiæ feciſſe, ſed ore, ac verbis ſuis Sacramenta omnia poſuiſſe, ideoque non mediatum, ſed immediatum fuiſſe Sacramentorum auƈtorem; quamquam Bellarmino, aliiſque dare non poſſumus decretorium Tridentino Canone latum eſſe de hac quæſtione judicium, teſtantur enim celeberrimi in eodem Concilio Theologi Tridentinos Patres ab iis vocibus *per ſe ipſum*, *immediate* conſulto temperaſſe, ne ſcilicet viderentur contrariam Catholicorum quorumdam Scriptorum opinionem proſcribere; erroris itaque, & inſignis temeritatis notam non effugeret ſiquis iret inficias, Sacramenta omnia fuiſſe a Chriſto immediate inſtituta, ſed hæc tamen propoſitio in fidei dogmatis poni opinione noſtra non debet.

V.

Duæ ſunt veluti partes, quibus unumquodque conſtat novæ legis Sacramentum; verbum,

(3) *Ibid.*

bum, & elementum, quæ trito nunc ſcholarum vocabulo *materia*, & *forma* appellantur, ducta a rerum naturalium principiis nomenclatione; ultro quidem fatemur neminem ante Guillelmum Antiſſiodorenſem, qui ſub medium XIII. Eccleſiæ ſæculi floruit, his vocibus uſum, inepte tamen Paulus Sarpius illas carpit (4), & veluti veteribus inauditas traducit; tota enim mutatio penes ſola vocabula contigit, res ipſas non affecit, quas Eccleſia, variatis licet nominibus, incolumes ſemper, & ſinceras ſumma fide, ac religione ſervavit.

VI.

Præter materiam, & formam perſona miniſtri requiritur, qui ſimul utramque conjungens Sacramentum efficiat; atque hic deteſtari ſatis non poſſumus impudentiam Lutheri, qui ſcribit (5) a Diabolo præſtari nobis poſſe Baptiſma, verumque Corporis, & Sanguinis Chriſti Sacramentum, modo iſte ſpecie hominis veniens in officium Paſtoris irreperet; Eccleſiæ enim Patres ſcripturarum eloquiis edocti ſolos viatores homines, ipſiſmet Sanctis Angelis excluſis, *ordinarios* Sacramentorum miniſtros agnoſcunt; *ordinarios* di-

(4) *Hiſt. Conc. Trid. lib.* 2. *cap. de artic. Baptiſmi.*

(5) *In lib. de abrog. miſſ.*

dicimus, nam ex peculiari delegatione poſſe Sanctos Angelos, & Beatos cum Chriſto regnantes extraordinaria fungi Sacramentorum adminiſtratione, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta docent, & nos libenter aſſentimur; ſicuti enim Deus gratiam ſuam non alligavit Sacramentis, quin poſſit illam ſine ipſis conferre, ita virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ miniſtris, quin poſſit hanc ſuis etiam Angelis impertiri (6).

VII.

Ex viatoribus autem hominibus non omnes, etiamſi Chriſtiani, Sacramenti cujuslibet adminiſtrandi pollent auctoritate; veritatem hanc, quam adverſus Novatores omnes, & ſpeciatim contra Lutherum Tridentini Patres declararunt, cum ſacræ literæ oſtendunt, tum Eccleſiæ conſuetudo confirmat, quæ, ſi Baptiſmum excipias, nunquam paſſa eſt, ut illi Sacramenta conficerent, quibus id muneris, adhibita conſecratione, non demandaſſet; atque hæc in univerſum dicta ſunto, nam de proprio cujuſque Sacramenti adminiſtro Theologi diſſerunt, ubi Sacramentorum doctrinam ſingillatim exponunt.

VIII.

Diſputatum olim eſt utrum miniſtri improbitas Sacramentis officeret; controverſiam

nunc

(6) *D. Th. 3. p. q. 64. art. 7.*

nunc ſuſtulit Tridentinum anathemate in illum lato (7), *qui dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem non conficere, aut conferre Sacramentum*, cujus certiſſimæ definitionis quamquam de ſcripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quando id facimus, quod univerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas.

IX.

Longe aliud de miniſtri intentione ſentiendum eſſe ſtatuimus; primo nempe dogma fidei eſt omnino opus eſſe, ut miniſtri Sacramenta conficientes, vel conferentes, id ſaltem animo intendant facere, quod facit Eccleſia; hanc ſcilicet intentionem natura Sacramenti requirit, hanc ipſa ſacramentalis miniſterii ratio poſtulat, hanc ſemper ubique gentium efflagitavit Eccleſia, cujus judicio irrita, & nulla habita Sacramenta ſunt, quæ ſine intentione collata fuiſſe conſtaret; rationem ergo ſacramentalis miniſterii peſſumdat, & Sacramenti naturam tollit Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & alii, qui ullius intentionis neceſſitatem negant, rataque habent Sacramenta quælibet, etſi illorum miniſter nihil cogitet, animove intendat, immo ſcur-

(7) *Seſſ.* 7. *de ref. can.* 12.

ſcurram agens, & mimum ſacra miniſteria palam irrideat; quaſi vero Sacramenti celebratio actus eſſe humanus non debeat, vel hujuſmodi dici poſſit niſi intentione, vel, quod in idem recidit, libera voluntate, judicioque rationis ſuſcipiatur.

X.

Quoniam vero hujus intentionis triplex apud Theologos acceptio eſt, aperire juvat quam in miniſtris ſuis expoſcat Eccleſia; habitualem non ſufficere Catholici omnes aſſentiuntur, quum hanc ipſam in amentibus, & dormientibus reperire ſit; actualem quamvis omnium optimam, nemo dixerit neceſſariam, quum ſæpiſſime in manu noſtra non ſit illam habere ob crebriores, nec voluntarias animi peregrinationes, in quas vel imprudentes abripimur; illa igitur, quæ fluit ex actuali præcedente intentione, quæque nec revocata, nec diu, multumque interrupta in homine adhuc perſeverat, & virtualis dicitur, ſufficere cenſenda eſt, & ad validam Sacramentorum celebrationem neceſſario deſiderari.

XI.

Sed jam excuſſis partibus Sacramenta conſtituentibus, reliquum nunc eſt, ut in eorumdem effectus, & virtutem inquiramus. Præcipuus porro, & communis Sacramentorum novi fœderis effectus eſt gratia ſancti-

ctificans. Quæ homini lethalis culpæ labe reſperſo, ac ſpiritualiter mortuo per Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ datur *primam* dixerunt Theologi; quæ autem homini juſto, & ſpiritualem vitam viventi per alia Sacramenta ſuperadditur *ſecundam* appellarunt; unde priora duo *mortuorum*, cetera *vivorum* Sacramenta vocari conſueverunt; præter gratiam ſanctificantem Sacramentis omnibus communem, unumquodque eorum gratiam fert peculiarem, quæ vires fidelibus præbet ad conſequendum finem, propter quem ſingula Sacramenta inſtituta ſunt, & ſacramentalis nuncupatur.

XII.

Alter vero Sacramentorum effectus non quidem omnibus communis, ſed trium tantummodo proprius, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ſacri, eſt character, quem animæ imprimunt, ſignum videlicet quoddam ſpirituale, & indelebile, quo fit, ut ea iterari non poſſint; de hujus characteris natura, & eſſentia hic non quærimus, ſolam illius exiſtentiam propugnamus; quæ duo iccirco diſtinguimus, quia doctrina exiſtentiæ characteris ad fidem, doctrina vero illius eſſentiæ ad ſcholæ pertinet opinionem; immerito proinde Sarpius (8) Tridentinos Patres

(8) *Ap. Card. Pallav. hiſt. C. Trid. lib. 9. c. 5.*

tres ſugillat tamquam ſanæ mentis impotes, nec minus contumelioſe Kemnitius (9) de iiſdem conqueritur perinde ac ſi intentato anathemate fideles compulerint, ut novis circa characteris eſſentiam Scholaſticorum opinationibus fide divina aſſentirentur.

XIII.

Atque hi quidem effectus non miniſtrorum meritis, aut eorum, quibus Sacramenta ſubminiſtrantur ſunt accepto ferendi, ſed a propria Sacramentorum ſanctitate, & virtute divinitus ipſis ab inſtitutore ſuo indita repetendi ſunt; nimirum quatenus Deus ſuprema ſanctificationis cauſſa iiſdem ceu inſtrumentis utitur, quibus Chriſti merita non ponentibus obicem applicat, & ſpiritualia dona communicat; hæc eſt illa efficacia, quam novæ legis Sacramentis ineſſe Catholici omnes credunt profitentes cum Tridentino (10) per ipſa conferri gratiam *ex opere operato*; quam vocem etſi nec valde antiquam, ſi ſoni ratio habeatur, nec a Latinis ſcriptoribus uſitatam, optimo tamen conſilio Tridentini Antiſtites uſurparunt, quippequæ, omni ambiguitate ſublata, exprimendis fidei Catholicæ ſenſibus aptiſſima eſt, & Sacramenti virtutem a ſuſcipientis fide diſtinguit.

XIV.

(9) *Lib.* 2. *exam. Conc. Trid.*

(10) *Seſſ.* 7. *can.* 8.

XIV.

Poſt hæc nullus ſupereſt quæſtioni locus de natura verborum, quæ in Sacramentorum confectione inſtar formæ adhibentur; nimirum ſi Sacramenta hominem juſtificant, Deoque conſecrant; ſi accedente verbo ad elementum fit Sacramentum, plane conſequitur verba ſacramentalia non eſſe promiſſoria, vel concionatoria, ut ajunt hæretici, ſed veram conſecrandi vim habere; quamquam nec argumentatione opus eſt, ut erroris, quem refutamus perverſitas intelligatur; cui enim bono concionalia verba in Baptiſmo parvulorum? vel quid attineret in celebratione Sacramentorum adhiberi verba, quæ nihil aliud, quam concionem ſaperent, vel promiſſionem, quum hæc vel rationis uſu deſtitutis poſſint aliquando adminiſtrari?

XV.

Illud ſemper a primis uſque Eccleſiæ temporibus ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur, non quod pluris fierent cæremoniæ, quam ipſa Sacramenta, vel cæremoniis tribuatur ab Eccleſia virtus, & efficacia Sacramentorum, ut temere calumniantur Novatores; ſed potius ut Sacramentorum commendaretur majeſtas, menteſque fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad ſublimium re-

rum,

rum, quæ in Sacramentis latent, cognitionem erigerentur, aliiſque nobiliſſimis de cauſſis, quas fuſius enumerat Tridentinum; unde facile eſt adverſarios refellere, qui receptos, ſapientiſſimoque conſilio approbatos Eccleſiæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos nauci faciunt, & veluti meras ſuperſtitiones traducunt.

DE BAPTISMO.

I.

Principem inter Sacramenta locum merito obtinet Baptiſma, cum hoc veluti janua ſit, qua in Chriſtianæ vitæ ſocietatem ingredimur, atque ab eo divinis præceptis obtemperandi initium facimus; etſi vero in ſacris literis non ſolum eam ablutionem, quæ cum Sacramento conjuncta eſt (11), ſed etiam omne ablutionis genus (12), quod aliquando ad Paſſionem translatum eſt, Baptiſmi vox ſignificet, tamen apud Eccleſiæ ſcriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, ſed eam, quæ cum Sacramento conjungitur, nec ſine præſcripta verborum forma miniſtratur; qua quidem ſignificatione

(11) *Marci VII.* 4.

(12) *Marc. X.* 38. *Luc. XII.* 50.

ficatione (13) Apoſtoli ex Chriſti Domini inſtituto frequentiſſime uſi ſunt, atque hoc ſenſu acceptum definiri commode poteſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, de quo breviter nunc aggredimur diſputare.

II.

Hujus Sacramenti materia, ſive elementum, eſt omne naturalis aquæ genus ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, aut fontis, quæ ſine ulla adjunctione aqua dici ſolet; nam & Salvator docuit (14) *niſi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*, & Apoſtolus inquit (15) Eccleſiam lavacro aquæ mundatam eſſe, atque ex tota retro ætate uſque ad Apoſtolorum tempora nullus Epiſcoporum, vel Sacerdotum, nullus ſcriptorum quotquot in Chriſti Eccleſia extitere contrarium exemplo, aut ſcripto tradidit; imo Eccleſiæ judicio, ut hæretici ſemper audierunt, qui vera, & elementari aqua utendum non eſſe in Baptiſmo docuerunt; quare quod a Joanne Baptiſta (16) dictum eſt venturum

(13) *Rom. VI.* 3. 4. *I. Cor. I.* 13. 14. *& ſeqq. Eph. IV.* 5. *I. Petri III.* 21.
(14) *Joan. III.* 5.
(15) *Eph. V.* 26.
(16) *Matth. III.* 11.

turum eſſe Dominum; qui baptizaret in Spiritu Sancto, & igne, id quidem nullo modo de Baptiſmi materia intelligendum eſt, ſed vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, vel certe ad miraculum referri debet (17), quod die Pentecoſtes apparuit.

III.

Ut autem ſua conſtet Baptiſmo virtus, materiæ conjungenda eſt forma, quæ in expreſſa, & diſtincta trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione conſiſtit, hiſque verbis concluditur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; Chriſtus enim Diſcipulos ſuos ſic alloquitur (18): *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quo in loco ſicuti tres perſonæ diſtinctæ exprimuntur, ita perpetuo in Baptiſmi adminiſtratione invocandas eſſe ex univerſa Eccleſia verborum Chriſti cuſtode, & interprete evidentiſſime colligitur.

IV.

Jamvero a ſolis Sacerdotibus jure proprio non extraordinaria aliqua auctoritate baptizari poſſe, ex doctrina Patrum, & uſu Eccleſiæ conſtat, quamquam ambigendum non eſt, quin, urgente extremi languoris neceſ-

ſitate,

(17) *Act. II.* 2. 3. 4.
(18) *Matth. XXVIII.* 19. 20.

ſitate, valeant etiam quicunque de populo ſive mares, ſive mulierculæ hoc Sacramentum ſine ſolemnibus cæremoniis adminiſtrare, in quo profecto ſummam Domini noſtri bonitatem, & ſapientiam licet admirari; cum enim neceſſario teneantur omnes hoc Sacramento conſignari, ſine quo nec ipſis infantibus ſalutis æternæ copiam fieri credendum eſt, quemadmodum aquam ejus materiam inſtituit, qua nihil magis commune, & ad manum eſſe poteſt, ſic etiam neminem ab ejus adminiſtratione excludi voluit, ne cui unquam ob miniſtri inopiam ſalutaris hujus remedii utilitas denegaretur.

DE CONFIRMATIONE.

I.

Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; quamvis autem continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, in hoc tamen mundo victuris propter inviſibiles hoſtes, & pericula, quæ undique circumſtant, neceſſaria ſunt quædam alia auxilia, quibus ad vitam in Baptiſmo regenerati poſt Baptiſmum con-

firmemur ad pugnam, ſpiritualia hæc arma contra hujus ſæculi poteſtates, & inſidias perabunde ſuppeditat Confirmatio, alterum ſcilicet novæ legis Sacramentum, quo baptizati ad Chriſti fidem firmiter retinendam, ſtrenueque profitendam Spiritus Sancti plenitudine roborantur.

II.

De hujus Sacramenti materia celebris eſt Theologorum diſſenſio: cum enim manuum impoſitionem ad Confirmationis eſſentiam pertinere in actibus Apoſtolorum manifeſte legatur (19), & e contra plurium Theologorum, aliquotque Patrum ſententia ſit de ſacramentali, & confirmatoria unctione Apoſtolum loqui in II. ad Cor. I. 21. & 22., ubi inquit -- *qui confirmat nos in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*; hinc alii in ſola manuum impoſitione Confirmationis materiam collocarunt, alii in chriſmatis unctione poſuerunt, alii denique ex utraque ſimul conjuncta exiſtere arbitrati ſunt; horum nos ſententiam eo libentius amplectendam exiſtimamus, quo propius ad veritatem videtur accedere, & graviſſimorum Patrum auctoritate fulciri.

III.

(19) *Act. VIII.* 17. 18. & *XIX.* 6.

III.

Ad miniſtrum quod attinet, Photius pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitanus ſæculo IX. Græcorum Schiſmaticorum caput æquam Epiſcopis, & Presbyteris miniſtrandæ Confirmationis facultatem fecit; Lutherus vero, Calvinus, aliique non ſolum hoc Sacramentum deridiculo habent, & contemtui, ſed præterea ejus miniſterium Epiſcopis jure reſervari perfracte negant; at enim ſolum Epiſcopum hujus Sacramenti conficiendi ordinariam poteſtatem habere ſacræ literæ (20) oſtendunt, Tridentini Antiſtites lato anathemate docent (21), aperteque ſanctorum Patrum, atque Pontificum monumenta teſtantur.

(20) *Act. VIII.* 14. 15., & *ſeqq.*
(21) *Seſſ.* 7. *can.* 3. *de Conf.*

DE
JUSTITIA, ET JURE.

I.

MUltiplex eſt Juſtitiæ poteſtas, ac ſignificatio; nos hic de ea loquimur, quæ tota verſatur in reddendo cuique quod ei debetur. Hæc autem, ut explicetur vis habitus, ſeu virtutis (1), recte ac commode definitur, *perpetua, & conſtans voluntas jus ſuum cuique tribuendi* (2). Sed quoniam tum privatum, tum publicum bonum reſpicit, idcirco in generalem, & ſpecialem diſtribui ſolet. Generalis efficit, ut homo ea omnia præſtet, quæ publici boni cauſa legibus ſancita ſunt, qua de re legalis Juſtitiæ nomen ſumpſit. Specialis duplex eſt. Nam quæ in diſtribuendis præmiis, muneribus, dignitatibus, ceteriſque communibus bonis verſatur, *diſtributiva*; quæ autem in rebus permutandis, ſeu contrahendis *commutativa* appellatur. Hoc vero inter hanc, &

(1) *S. Th.* 2. 2. *q.* 58. *a.* 1. *ad* 3.
(2) *L.* 10. *ff. de Juſt.*, *& Jur.*

& illam maxime intereſt, quod in hac Jus ſuum cuique tribuendum eſt ſecundum æqualitatem rei acceptæ ad rem datam; in illa vero hominum merita ſpectari, ac perpendi ſemper debent.

I I.

Varia quoque eſt Juris vis, atque notio. Quo ſenſu a nobis accipitur, definiri poſſe videtur, *facultas legitima aliquid faciendi, cujus violatio injuriam conſtituit*. Et ejus quidem ſpecies plures ſunt; prima tamen, ac præcipua *dominium* dicitur, quo nomine ſignificatur Jus de re aliqua perfecte, ac pro arbitrio ſtatuendi, ſalva legum prohibitione. Illius acquirendi modi ad duo ſumma genera revocantur. Alii enim *originarii*, alii *derivativi* dicuntur. Primi ſunt *occupatio*, & *acceſſio*, ſecundi *diviſio*, *ceſſio*, *traditio*, ex quibus alii plures deinde manarunt.

I I I.

De rebus inventis, quæ dominum habent, quæri ſolet, poſſitne inventor, quamvis pauper non ſit, eas ſibi tuta conſcientia retinere, ſi ipſarum dominus nulla ratione inveniri poſſit? Hac ſuper re graviſſimis tum rationis, tum auctoritatis momentis adducti ſtatuimus, hujuſmodi bona inventa eſſe neceſſario reſtituenda pauperibus, in eorumque uſum conferenda, ſic, ut qui ea ſibi

uſurpat, ac retinet, furtum committat, non ſecus ac committit qui eadem bona non reddit, quando illorum dominus apparet.

IV.

Licet fuerint nonnulli, qui arbitrarentur legem præſcriptionis locum duntaxat habere in foro exteriori, & judiciali, & ideo jure conſcientiæ rem eſſe priori domino reſtituendam, quocumque tempore poſſeſſor eam alienam fuiſſe reſcierit; nihilominus communis nunc ſententia eſt, quæ rectius multo collineat, ac ſola vera nobis judicatur, legitimam præſcriptionem vim habere etiam in foro conſcientiæ. Quocirca pro certo habemus, poſſeſſorem bonæ fidei lapſu temporis lege definiti, ceteriſque intervenientibus conditionibus ad legitimam præſcriptionem neceſſariis, rem alienam etiam ſecundum conſcientiam facere ſuam, nec ipſam reſtituere juberi, quamvis deinde certo intellexerit fuiſſe alienam.

V.

Fuerunt quoque, ac ſunt etiamnum permulti, qui Clericos ita dominos eſſe fructuum ſuorum beneficiorum putent, ut ſi eos in profanos uſus impenderint, peccent quidem contra caritatem, miſericordiam, religionem, atque etiam contra præceptum ab Eccleſia poſitum, non tamen contra ju-

ſtitiam,

ſtitiam, utpotequi alienum non uſurpaverint, nec conſumpſerint. Nos tamen cum iis ſentimus, qui docent, clericos nihil ex fructibus beneficiorum ſibi retinere poſſe ultra id, quod eſt neceſſarium ad honeſtam eorum ſuſtentationem, & quidquid supereſt non ſolo Eccleſiæ præcepto, non ſola virtute religionis, neque ſola caritatis, aut miſericordiæ lege, ſed ſtricto juſtitiæ jure debere in Eccleſiarum, & pauperum uſus erogare. Id enim cum ipſi Eccleſiaſticorum bonorum naturæ, & conditioni, tum Patrum doctrinæ, ac Conciliorum decretis maxime conſentaneum nobis videtur.

VI.

Etſi Deus res plane omnes, quas terrarum orbis complexu ſuo coërcet, & continet, hominis poteſtati, ac dominationi ſubjecit, ut eſſent in alimentum, alioſque uſus, & commoditates illius (3), nullum tamen in propriam vitam, aut membra dominium ipſi conceſſit. Quocirca homo ſuæ vitæ, ſuorumque membrorum uſum duntaxat habet, non proprietatem: nec ulla eſt cauſſa, quantumvis honeſta, & laudabilis videatur, qua licitum illi ſit violentas manus ſibi inferre, ac ſe ipſum per ſe & directo interimere. Poteſt tamen alicujus virtutis exercendæ gratia certo vitæ diſcrimini

(3) *Gen.* 1. *v.* 28. & 29.

ni ſe objicere, quin etiam ad id faciendum præcepto obligatur, cum aut caritatis ordo, aut publici boni ratio hoc exigit. Propterea enim Deus vitam homini dedit, ut ea ad debita, convenientiaque officia uteretur.

VII.

Ad honorem autem, & famam, quod ſpectat, cum bona quædam ſint homini extrinſecus accedentia, ab eoque proprio labore, ac induſtria comparata, nulla cauſa eſt, quamobrem illorum dominium ei denegare poſſimus. Licet autem vere ſit homo ſui honoris, ſuæque famæ dominus, nequit tamen ſeipſum pro arbitrio, & ſine juſta cauſa infamare; nam ſi peccatum eſt prodigere pecuniam, aliaque bona fortunæ, multo profecto magis peccatum eſſe oportet prodigere famam, quæ bonum eſt longe excellentius.

DE CONTRACTIBUS.

I.

Contractus eſt duorum, vel plurium in eandem rem conſenſus, quo vel uterque invicem, vel alteruter alteri obligatur. Nam etiam cum unus tantum alteri obſtringitur, contractus appellatur, ſi non proprie & ſtri-

ᵭe,

cte, ſaltem improprie & late. Ut autem quis per contractum alteri obligetur, oportet eum rationis compotem eſſe, nec lege prohiberi ſeſe obligare. Quare nec pupillus, nec minor ſine tutoris, vel curatoris auctoritate poteſt ſe alteri per contractum obligare, licet poſſit alterum ſibi obligare, & ſibi acquirere.

II.

Quid ſi in rebus contrahendis error aliquis intervenerit? Si error ſubſtantiam ipſam contractus attingat, jure ipſo naturæ nullus, ac irritus eſt contractus; ſi vero accidentia tantum, quæ vix in pacti naturam veniunt, tenet contractus, qui tamen arbitrio illius, qui deceptus fuit, reſcindendus erit, modo ſit natura ſua diſſolubilis, & error ab alterius contrahentis dolo provenerit, atque contractui cauſam attulerit.

III.

Contractuum autem, qui per metum injuſte incuſſum extorti ſunt, alii quidem (quos numerat Gloſſa *in cap.* 2. *de iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*) jure communi, & poſitivo nulli, ac irriti ſunt: alii vero, licet (ut multorum opinio eſt) firmi, & rati ſint, illius tamen arbitrio, qui vim, ac metum paſſus eſt, diſſolvi poſſunt, & debent, cum nulla alia ratione illata ipſi injuria removeri queat.

IV.

Quod attinet ad contractus, qui fiunt iis prætermiſſis formulis, ſeu ſolemnitatibus, quas leges exigunt ad illorum firmitatem, & ſubſtantiam, non dubitamus, quin nullius ſint momenti etiam ſecundum conſcientiam, quamvis ceteroquin id omne habeant, quod juris naturalis ratio expoſtulat.

V.

Contractuum, qui nunc obtinent, pervagatiſſimus eſt *emptio venditio*. Ea recte, & apposite definiri poteſt, *contractus ultro citroque emptorem & venditorem obligans, qui perficitur conſenſu de re, & pretio*. Inter multa, quæ ad pretium pertinent, quo vendere, aut emere licet, illud hic ſatis habemus pro certo ponere, nemini licere vendere, aut emere pluris vel minoris, quam res valeat, eo ſolum nomine quod vendit, aut emit, dilata, vel anticipata pretii ſolutione. Id enim uſurarium omnino eſſet, quippequia in hujuſmodi venditionibus, & emptionibus tacitum, & implicitum mutuum continetur.

VI.

Eſt autem mutuum contractus, *quo res, quæ uſu conſumitur, alicui ita datur, ut ejus fiat, ea tamen lege, ut is aliam ejusdem generis, & bonitatis poſt aliquod tempus reſtituat*.

tuat. In hoc mutui contractu propriam ſuam ſedem, & locum uſura habet, quæ eſt *lucrum quæſitum ex mutuo vi mutui*. Eam quidem injuſtitiæ omnis, vitiique expertem eſſe contendunt Calvinus, Molinæus, Salmaſius, Grotius, Puffendorfius, Noodtius, Broëderſenus, alii, cum modica eſt, atque, ut ajunt, moderata, nec a pauperibus extorta. Eſt tamen horum omnium magno in errore ſententia. Apertiſſime enim Patres, Concilia, divinorum Librorum oracula, quin etiam ipſa naturæ ratio, atque lex, uſuram prorſus omnem, tametſi modicam, acceptamque a divitibus damnant, & interdicunt.

VII.

Hæc igitur perpetua lex mutui cenſeri debet, quæ a natura ipſa profecta, Dei, & Eccleſiæ auctoritate confirmatur, ut nullum lucrum ex mutuo vi mutui exigatur. Quæ tamen lex nihil impedit, quominus aliquid exigi poſſit ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis, quippequod non exigitur ex ipſa vi mutui, ſed ex cauſa alia externa, atque extrinſecus mutuo accedente. At enim quid poſtremo cenſendum de contractu illo triplici, de quo magna olim inter Dominicum Sotum, & Martinum Navarrum controverſia fuit, atque etiamnum ſumma Theologorum diſſenſione certatur?

No-

Noſtra ſententia non ſolum valde periculoſus ille eſt, ut ipſi ejus patroni fatentur, ſed etiam illicitus, ſimulatus, & maxima uſuræ labe aſperſus.

Facta cuilibet a ſexto argumentandi copia.

FINIS

AMM. PROV. DI TORINO
№ 17289
BIBLIOTECA

IMPRIMATUR.

F. Vincentius Maria Carràs Ord. Prædic. S. T. M. Vic. Gen. S. Officii Taurini.

V. Joſeph Tempia Coll. Th. P.

V. Se ne permette la ſtampa.

Di Ferrere per S. E. il Signor Conte Caiſſotti di S. Vittoria Gran Cancelliere.